DE CANONICIS PRÆMONSTRATENSIBUS IN LOTHARINGIA ET DE CONGREGATIONE ANTIQUI RIGORIS

A SERVATIO DE LAIRUELS INSTITUTA

THESIM

Facultati litterarum Nanceiensi proponebat

EUGENIUS MARTIN

DIŒCESIS NANCEIENSIS PRESBYTER

IN GYMNASIO A SANCTO SIGISBERTO HUMANITATUM MAGISTER

NANCEII

EX TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SODALIUM

MDCCCXCI

DE CANONICIS

PRÆMONSTRATENSIBUS

IN LOTHARINGIA

DE CANONICIS

PRÆMONSTRATENSIBUS

IN LOTHARINGIA

ET DE

CONGREGATIONE ANTIQUI RIGORIS

A SERVATIO DE LAIRUELS INSTITUTA

THESIM

Facultati litterarum Nanceiensi proponebat

EUGENIUS MARTIN

DIŒCESIS NANCEIENSIS PRESBYTER

IN GYMNASIO A SANCTO SIGISBERTO HUMANITATUM MAGISTER

NANCEII

EX TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SODALIUM

MDCCCXCI

MIHI LIBELLUM ISTUM SCRIBENTI HI LIBRI PROFUERUNT

I. — Codices manuscripti.

Monumenta mss. Ordinis Præmonstratensis ab Hugone, Stivagiensi abbate, collecta et ab eodem in XVIII volumina contracta, olim in bibliotheca Stivagiensi, nunc vero in Seminario Nanceiensi religiose servata. Hæc nihil aliud sunt ac documenta a diversis abbatibus ad Hugonem missa, aut ab Hugone ejusque coadjutoribus transcripta, quorum pleraque pene ad verbum in Monasteriologiam fuerunt inserta.

Annalium Ordinis Præmonstratensis seculum primum, in 680 paginis in-fol., ab eodem scriptum et ibidem asservatum. Liber maximi pretii, typis quidem paratus sed nondum commissus.

Collectiones instrumentorum ad Ordinem Præmonstratensem spectantium in quatuor partes distributæ et in Seminario Nanceiensi asservatæ.

I. — *Annales Sacri et Canonici Ordinis Præmonstratensis* (auctore P. Blanpain). 1 vol. in-folio.

II. — *Instrumenta ad Annales Ordinis Præmonstratensis pertinentia*. 2 vol. in-fol.

III. — *Instrumenta manuscripta ad Ordinem Præmonstratensem spectantia* (1 vol. in-fol.). Inter alia, hæc mihi sunt notanda. *Ad tomum III Annalium notæ*, ab Hugone ipso exaratæ. — *Statuta Ordinis Præmonstratensis veterrima. — Vita sancti Norberti. — Sententia altera quæsitorum regalium, in lite de divisione Congregationis in tres circarias* (22 Aprilis 1673). — *Instrumenta ad unionem mensæ abbatialis Stivagiensis sedi episcopali Tullensi pertinentia. — Histoire de l'abbaye de Joviliers, écrite en 1769 par le F. Pierre Marin.*

IV. — *Collectio epistolarum ad editionem Annalium Ordinis pertinentium*. 2 vol. in-fol.

Collectio capitulorum tam generalium quam provincialium Ordinis Præmonstratensis, ab eodem formata et ibidem asservata. 1 in-fol. In hac collectione, ampla quidem et rarissima, tum lucidus ordo foliorumque notatio, tum multa Ordinis et Congregationis capitulorum acta desiderantur.

Liber variarum litterarum seu copiarum ab abbatibus aut ad abbates Sanctæ-Mariæ-Mussipontanæ vel ab aliis et ad alios scriptarum (Ex Bibl. Sem. Nanc). Hæ litteræ spectant aut ad difficultates quasdam in Salina-Valle motas (1620), aut ad actionem Romæ a P. Thienville contra Ninovensem abbatem defensam (1628). Sed harum series cessat die 18ª martii 1628.

Mémoires pour le P. Raguet. 1643. 1 vol. in-fol. *Collectio litterarum diplomatorumque diversorum ad electionem P. Raguet in abbatiam Præmonstratensem pertinentium* (Ex Bibl. Sem. Nanc.).

Archiva Nanceiensia, series H. (1086 ad 1278.)

Historia Universitatis et Collegii Mussipontani quam conscripsit P. Abram, S. J. ab institutione ad annum 1650. Codex manuscriptus, n° 41, Bibl. Nanceiensis.

Mémoire de ce que l'on trouve des antiquitez du lieu de Brieulle-sur-Meuse, de l'establissement d'une maison ou résidence pour les religieux de la Congrégation, ou de l'Ancienne Rigueur de l'Ordre de Prémontré et des choses les plus remarquables qui si sont passées depuis le dit establissement selon l'ordre des années, depuis l'an 1632 (jusqu'en 1665); liber scriptus a P. Macario Guinet, primo priore hujus cœnobii et a D. Ruinet, Parisiensi, nunc detentus.

Recueil de pièces diverses et de lettres adressées aux abbés d'Étival, de Moyen-Moutiers et de Senones. 3 vol. (Mss 151, bibl. publ. Nanceiensis.) — Hæc fere omnia spectant ad contentiones illas quas episcopis Tullensibus abbates Vosagenses moverunt.

Histoire de l'abbaye de Saint-Pierre d'Étival, sujette immédiatement au Saint-Siège, de l'Ordre des chanoines réguliers Prémontrés de la circarie de Lorraine (ex collectione Seminarii Nan-

ceiensis). Hæc historia de prioribus tantum illius abbatiæ seculis meminit ; sed multa diplomata multasque chartas ad cœnobia Stivagiense et Hohemburgense pertinentia complectitur.

II. — Libri typis mandati.

Pagius (Le Paige), *Bibliotheca Præmonstratensis Ordinis*. Parisiis, Sub signo solis, MDCXXXIII, in-fol.

Hugo, Stivagiensis, *Sacri et canonici Ordinis Præmonstratensis annales. Monasteriologia*. 2 vol. in-fol. Nanceii, Cusson, MDCCXXI.

J. Midot, *Vindiciæ Communitatis Norbertinæ antiqui rigoris scriptæ ad Ecdicium Sylvium Elyarem*. Apud S. Stephanum de Venderiis, per G. Bernardum. 1632, in-4°.

Gallia Christiana, XIII, diœceses Tullensis, Metensis ac Virdunensis. — VI, diœc. Lingonensis. — X, diœc. Remensis.

Acta Sanctorum. Die IV^a Junii : *Vita sancti Norberti*, editore P. Papebrock, e S. J.

D. A. Calmet, *Bibliothèque lorraine*. — *Histoire de Lorraine*. — *Notice de la Lorraine*.

B. Picard, Ord. Capuc., *Poüillé ecclésiastique et civil du diocèse de Toul*. Toul, Rollin, 1721. 2 vol. in-12.

Hélyot, *Histoire des Ordres monastiques, religieux et militaires*. Paris, Coignard, 1721. II, p. 160 et sq.

Guillaume, *Histoire du diocèse de Toul*. Nancy, Thomas-Pierron. 5 vol. in-8°.

Lepage, *Statistique de la Meurthe*. 2 v. in-8°. Nancy, Peiffer, 1843.

Lepage et Charton, *Statistique des Vosges*. 2 vol. in-8°. Nancy, Peiffer, 1845.

Léon Louis, *Le Département des Vosges*. 7 vol. in-8°. Épinal, Busy, 1887.

Robinet, *Pouillé du diocèse de Verdun*. —Verdun, Laurent, 1888. In-8°.

Roussel, *Histoire ecclésiastique et civile de Verdun*. Bar-le-Duc, Contant-Laguerre, 1864. 2 vol. in-8°.

P. Nic. Guinet, *Ramusculus excerptus ab antiquissima arbore quæ*

nunquam emarcuit, sed etiam nunc post sex secula virescit : successionum abbatum regularium, olim Marianorum Nemorensium, nunc Mussipontanorum... quas neque vicissitudo temporum interrupit, neque morum perversitas labefactavit, neque ulla unquam vel minima secularis commendæ suspicio obumbravit. Ponti-Mussi, apud. Fr. Maret. S. d. In-4°.

Durival, *Description de la Lorraine et du Barrois.* Nancy, Leclerc, 1779. 4 vol. in-4°.

Histoire de Nostre-Dame de Benoiste-Vaux. A Verdun, par Jean Du Bois, imprimeur. MDCXLIV. In-18.

III.

A. Digot, *L'Abbaye de Sainte-Marie-aux-Bois;* in Annalibus quibus titulus : *Mémoires de la Société d'Archéologie lorraine,* anno 1857.

G. Pierson, *L'Abbaye de Salival,* ibidem, anno 1868.

Victor de Civry (Collin), *Les Ruines lorraines. Sainte-Marie-aux-Bois.* Nancy, Vagner, 1846.

D. C. Guyot, *Un Épisode de l'histoire de Flabémont,* ab Annalibus gallice dictis *de la Société d'Émulation des Vosges* anni 1889 excerptus commentarius.

Dumont, *Les Monastères de l'Étanche et de Benoîte-Vaux.* Nancy, Dard, 1853. In-8°.

— *Histoire des fiefs et des principaux villages de la seigneurie de Commercy.* Nancy, Dard, 1856. 2 vol, in-8°. T. I, *Rengéval.* T. II, *Riéval.*

A. Digot, *Éloge historique de Charles-Louis Hugo, abbé d'Étival, évêque de Ptolémaïde.* Nancy, Grimblot, 1843.

P. Chevreux, *Notre-Dame de Benoîte-Vaux.* Verdun, Laurent, 1863. In-12.

DE

CANONICIS PRÆMONSTRATENSIBUS

IN LOTHARINGIA

CAPUT PRIMUM.

ORDO A B. NORBERTO PRÆMONSTRATI FUNDATUR ET A DISCIPULIS EJUS IN LOTHARINGIA PROPAGATUR.

Post Leonem nostrum IX et Gregorium VII, Ecclesiæ fausta tempora redierunt et magnus iterum natus est seculorum ordo. Dum enim, ab illo certamine victores egressi quod per tot annos cum Germanis Cæsaribus gesserant, populos christianos ad vindicandum Jesu Christi sepulcrum præcipitabant, Romani Pontifices, vere omnium Europæ nationum regumque duces ac moderatores, illa suprema sua auctoritate ad fovenda maxima quæque utebantur.

Tunc erectæ sunt primæ Universitates; divinarum humanarumque disciplinarum arcana a maximis doctoribus scrutata sunt; « gesta Dei per Francos » a poëtis per castella celebrata; undique usque ad cœlum turres sublimes extulerunt cathedrales ecclesiæ; et monastica vita quæ, ab Antonii temporibus, tam nitentem antea produxerat florum diversitatem, novas lætasque gemmas subito edidit, uberum frugum spes atque pignora.

Eadem enim ætate, Bertholdus, Calaber, Carmelitarum[1]; Stephanus, Arvernus, Grandimontensium[2]; Bruno, Carthusianorum[3]; Robertus Molesmensis, Cisterciensium[4]; Delphinienses quidam duo, Antonistarum[5]; Robertus *d'Arbrussel* tandem, ut de aliis sileam, Fontis Ebraldi canonicorum, jecerunt fundamenta[6]. Quos aut comitati aut proxime secuti sunt tres militares Ordines[7] et Præmonstratenses canonici.

Ordo quidem Præmonstratensis ab aliqua pagi Laudunensis solitudine nomen sumpsit in qua, a Beato Norberto olim Coloniensi canonico, postea Magdeburgensis ecclesiæ præsule, anno 1120, fuit institutus[8]. Ab Honorio papa II aliisque Summis Pontificibus approbatus, faventibus episcopis optimatibusque non paucis, in fere omnes Europæ regiones ita mirifice propagatus est ut, ante annum Christi 1200, mille abbatiis, trecentis præposituris, cœnobiis vero sanctimonialium quingentis præesset Præmonstrati abbas, totius Ordinis caput ac centrum[9].

---

1. Gallice, *Carmes*. Carmelitæ instituti fuerunt a Bertholdo Calabro, anno 1156, in monte Carmelo, unde et nomen duxerunt et originem suam ab Elia et Elisæo prophetis repetierunt.

2. Grandimontensis Ordo, gallice *Grand-Mont* seu *Grammont* in Arvernia, a Stephano *de Thiers*, anno 1073, fuit erectus, nec ultra duodecimum seculum duravit.

3. Carthusianorum inclytus Ordo anno 1084 institutus fuit.

4. Anno 1098.

5. Waastus, nobilis Delphiniensis ejusque pater prima hujus Ordinis hospitalis jecerunt fundamenta, anno 1093, in loco cui nomen *Didier-La-Mothe*, in diœcesi Viennensi.

6. Gallice *Fontevrault*. Anno 1096, hic ordo originem sumpsit.

7. Hospitales a S^to^ Joanne nuncupati, anno 1099; Milites Templi, anno 1118; Teutonicus Ordo, anno 1190.

8. Norbertus, Sanctis (*Santen*) in ducatu Cliviensi (*Clèves*) nobilissimis ortus parentibus, adolescens liberalibus disciplinis eruditus, in ipsa postea Henrici V imperatoris aula versatus, spretis mundi deliciis, ecclesiasticæ militiæ adscribi voluit et verbo Dei prædicando se totum dedit. Cum Lauduni esset, ab episcopo Bartholomæo rogatus ne e sua diœcesi discederet, desertum in ea locum qui Præmonstratus dicebatur sibi delegit ibique tredecim sociis aggregatis, Præmonstratensem instituit Ordinem. Archiepiscopus Magdeburgensis renuntiatus, ecclesiam suam sedulo rexit et Magdeburgi obdormivit anno 1134.

9. Hugo, *Annales*... Præfatio, XVI.

Non enim viri solum, sed etiam virgines ac mulieres verbo et exemplo ad perfectius Domino serviendum illecti, Norbertum ejusque discipulos turmatim adiere. In ipso Ordinis initio, canonicorum ac sanctimonialium tam vicina erant domicilia ut, teste antiquo scriptore[1], « quasi duobus virorum ac mulierum parietibus uno angulari lapide conjunctis, jucundum Deo constructum esset habitaculum ». Hæ vero moniales tanto rigore ac silentio vitam ducebant, ut semel ingressæ monasterium, nunquam inde exirent nec eis ulli unquam viro non extraneo tantum, sed ne propinquo quidem loqui permitteretur, nisi stantibus ad clathros duobus laicis seu fratribus conversis cum viro exterius et duabus monialibus cum moniali interius. Ad resecandum omnem fastum, usque ad aures tondebantur, vilissimo nigroque panno caput tegebant, nec aliis vestibus quam ex lana aut pellibus ovinis utebantur.

Sed ad præcavenda mala quæ corporis faces aut animi torpor deinceps inducere possent, Capitulum generale anni 1138, auctore Hugone, in regimine Ordinis B. Norberti successore, decrevit feminas in posterum non esse cum viris in idem contiguumve cœnobium admittendas, sed in remotiorem locum transferendas[2]. Lex illa sapientissima minime remisit ardorem et in primo Ordinis seculo, vix ullum canonicis constructum fuit monasterium quin ad secundum aut tertium ab eo lapidem virginibus brevi alterum sit ædificatum.

In Lotharingia jam a quinto post Christum seculo multa exstabant cœnobia quæ sive Columbana regula, sive variis pro locorum diversitate statutis, prius moderata fuerant, et in temporum decursu, paucis admodum exceptis, aut a Benedictinis monachis, aut ab Augustinis canonicis

---

1. Jacobus a Vitriaco, *Historia Occidentalis*, c. 22.
2. Hugo, *Ann.* Præfatio, XII. — Pagius, *Biblioth.*, 346 et sq.

occupata fuerant. Quorum autem recensere nomina neque hujus operis est ac multi, inter quos *Calmet* et *Digo*, retulere. Unum tantum addiderim : nunquam fortasse majori studio ad cœnobia tum condenda, tum frequentanda, flagrasse Lotharingos sicut et ceteros Europæ populos, quam duodecimo illo seculo. Dum enim multi solitudinis amore vitæque austerioris cupiditate correpti, silvarum ac montium abdita petebant privataque eremitoria sibi paucioribusque discipulis erigebant, seculi quidem principes et Ecclesiæ præsules sive hominum illorum aspera vitæ ratione capti, sive deprecatores apud Deum sibi constituere exoptantes, sive etiam regno Christi latius dilatando aut in fidelium animis confirmando strenuos apostolos comparare gestientes, novis Ordinibus, Cisterciensi præsertim ac Præmonstratensi, monasteria fundare amplissimisque reditibus augere certarunt. Per triginta annos, ut de Norbertinis religiosis tantum loquar, in solis Lotharingiæ finibus, viginti quinque ad minus tam virorum quam mulierum domus fuerunt creatæ.

Regia-Vallis et Domus Dominarum. — Quarum natu major fuit Regia-Vallis[1]. Vix a quatuor annis B. Norbertus Præmonstrati jecerat ordinis sui fundamenta cum Rainaldus, Barri comes ordine primus, novæ religionis amore flagrans, aliquot e discipulis ejus ad monasterium in sua ditione instituendum expostulavit. Quibus votis annuens Norbertus, ex alveo suo, sub regimine Herberti, natione Lotharingi, agmen emisit quod prope Commerceium, in diœcesi Tullensi, secus regiam viam, duo cœnobia, anno 1124, erexit, alterum sibi cui nomen Regia-Vallis, alterum virginibus quod ab eis Domus Dominarum vocatum fuit.

1. Gallice *Riéval*. Ut ea quæ de singulis cœnobiis diximus, velut in fonte suo deprehendas, benigne Lector, evolve Hugonis Monasteriologiæ duos tomos qui ad litteram sunt digesti.

Santa-Maria-ad-Nemus et Cella Dominarun. — E Regia-Valle, ipsius Herberti temporibus, multa rursus examina in Hungariam usque evolaverunt[1], quorum unum, anno 1126, jussu Norberti qui Simonem, Lotharingorum ducem, salutandi gratia, Prineium[2] ab Alsatia iter faciens diverterat et a principe fundum suis obtinuerat, haud longe ab urbe Mussipontana, in horridula silvestrique solitudine stetit, Richardo duce, et, erutis silvis, cœnobium B. Virgini sacrum a Nemoribusque cognomen ducens[3] inchoavit. Richardus vero, sicut Herbertus, virginibus ad se confluentibus ac primum intra monasterii septa, Norbertino more, receptis, mox, uno ab abbatia lapide, circa annum 1130, alteram domum ædificavit quæ Cella Dominarum seu Antiqua Abbatia nuncupata fuit.

Janduriæ ac Planus-Mons. — His vero filiabus effeta non fuit mater Regivallensis, nam aliquot post annis, ad ponendum monasterium in allodio sat amœno quod in valle Salicis[4] prope Barrum-Ducum a Walfrido et Theodorico, Barrensibus castellanis, partim Bellilocensibus monachis[5], partim abbati Sancti-Leonis Tullensis[6], ad hunc finem ut religiosos ibi locarent concessum fuerat, renuntiantibus ultro postulantibusque donatariis, Herbertus Theobaldum ablegavit; qui, anno 1140, sociis suis cœnobium quod posteri Jandurias[7] appellarunt et, duobus post annis, locum et dotationem Odone de Jaria submittente, virginibus parthenonem in Plano-Monte, prope suam abbatiam strenuus exstruxit.

---

1. Sanctus-Stephanus, Sancta-Crux et Graba, in circaria Hungariæ, Regiæ-Vallis filiationis erant.
2. Gall. *Preny*, inter Metas et Mussipontum.
3. Sancta-Maria-ad-Nemus, gallice *Sainte-Marie-aux-Bois*.
4. Gallice *la Saulx*.
5. Bellus Locus, gall. *Beaulieu*, ord. Præm. in diœcesi Trecensi haud longe a Barro-super-Albam.
6. Ordinis Sancti Augustini.
7. Gall. *Jandeures*.

Jovillare et Nantelium. — Herbertus vero Godefrido, tunc temporis Joinvillæ domino ac Campaniæ senescalco, sic carus erat ut ab eo dominium in Jovillari [1] loco Barrum-Ducum inter ac Ligneium accepisset ea lege ut ibidem aliquot e Regia-Valle canonicos constitueret. Itaque, postquam Henricus, Tullensis episcopus, parochialem hujus loci ecclesiam, anno 1141, sibi tradidit, Regivallensis abbas, delegato prius canonico ad curam animarum suscipiendam, Jovillare anno proxime sequenti coloniam emisit sub Raymundo qui ædificiorum structuræ religiosorumque regimini præfuit curavitque ut in Nanteliana valle [2], sesquihora a Jovillari, virginibus pateret habitaculum.

Rengis-Vallis et Vallis Nonnarum. — Anno 1152, novum adhuc a Regia-Valle in vicinam Rengis-Vallem [3], haud procul a Commerceio sitam, ædificatis prius cœnobii templo ac locis regularibus, evocavit Hadevidis de Aspero-Monte [4] quæ, paucis post annis, in secessu Martini Fontis qui postea nomen Vallis Nonnarum sortitus est [5], duabus a Rengis-Valle leucis, parthenonem struxit ibique cum selectis sociis Norbertinam regulam antesignana mater professa est.

Sanctus-Paulus Virdunensis. — Dum hæc monasteria Regivallensis abbas in diœcesi Tullensi constituebat, sedem Virdunensem obtinebat Albero *de Chigny* qui haud semel antea B. Norbertum audierat et Ordini ejus ipse nomen dederat, totus ad erigendas in sua diœcesi Præmonstratensibus domos incubuit.

---

1. Gall. *Jovilliers.*
2. Gall. *Nanteuil.*
3. Gall. *Rengéval.* Rengis-Vallis a multis Reginæ-Vallis vocatur.
4. Gall. *Apremont.*
5. Gall. *Val des Nonnes,* haud longe a Parneio-secus-Barinam (*Pagney-derrière-Barine*); ibi, XVIII seculi initio, novitiatus Eremitarum Sancti-Augustini a fratre Petro fuit fundatus, et postea apud Sanctum-Josephum, prope *Messein* translatus.

Virduni vero sub ipsis oppidi mœnibus, B. Paulus episcopus cœnobium, anno circiter 642, sancto Saturnino dedicaverat; quod deinceps a Wigfrido episcopo reædificatum, sanctoque fundatori sacratum ac Benedictinis monachis e Theologiensi[1] abbatia commissum, cum temporis injuria ultimique abbatis negligentia in miserandam rerum ac morum dissolutionem dilapsum esset, Albero, Lothario imperatore ac Innocentio papa consentientibus, ejectis non sine difficultate e Paulino cœnobio monachis, canonicos anno 1130 Præmonstrato accersivit quos Rogerus, Norberti ipsius auditor, adduxit; Albero quidem in hoc monasterio seipsum postea Christo donavit numerumque trecentorum religiosorum ipse complevit.

Bella-Vallis, Crisseium ac Silva Dominarum. — Inter antiqua Augustinorum canonicorum cœnobia, Petrimontanæ[2] domui a quodam Metensi canonico anno 1096 conditæ, splendor cultus divini, incolarumque ejus tum virtutibus, tum scientia pollentium, maximum fecerant nomen. Jam a quindecim annis monasterii habenas Radulphus moderabatur cum, anno 1125, Josbertus quidam sacerdos qui, in Bassiniaco pago, apud Septem-Fontes[3] eremitorium erexerat, ad Sancti-Petri-Montem venit, ut communionem Ordinis ac regulæ efflagitaret. Cujus precibus assentiens Radulphus, eodem ipso anno, adductos secum fratres Septem-Fontibus Augustinianæ religionis satores imposuit, retenta sibi amborum cœnobiorum abbatiali dignitate.

Mox ab episcopo Metensi, præsule suo diœcesano ut Freistroffiensis[4] abbatiæ administrationem per interim

1. Gall. *Tholey.*
2. Gall. *Saint-Pierremont,* Metas inter et Theodonis-Villam.
3. Septem-Fontes in Bassiniaco, gall. *Sept-Fontaines-en-Bassigny,* in diœcesi Lingonensi (*Langres*).
4. *Freistroff,* Ordinis Cisterciensis, diœc. Metensis.

susciperet, et deinde ab Alberone Virdunensi, anno 1133, in erigendo Bellevallensi conventu [1] eum adjuvaret, evocatus fuit. Huic fundationi ita indulsit ut abbatiæ priori Petrimontanæ ad tempus valedicens, totum illi novæ ac pauperi se daret. At nescimus quo pacto, post paucos annos, a simplici sancti Augustini regula ad normam, habitum ac mores Præmonstratensium transgressi sunt Bellevallenses, et ab Hugone, Præmonstrati abbate, Philippus, illius archicœnobii canonicus, Radulpho suffectus est, anno ad minus 1137, et iisdem ipsis temporibus, in prædio Crisseio, prope Grande-Pratum, in diœcesi Remensi [2], Virginibus quæ sub ductu donatricis Aleidis de Grandi-Prato, regulam Norbertinam expostulabant, cœnobium ædificavit. Recensetur etiam ab Hugone Stivagiensi, alius parthenon, in vicinia Bellæ-Vallis, cui nomen Silva Dominarum, sed quo anno conditum fuerit, incertum est.

Septem-Fontes in Bassiniaco et Sancta-Maria in Berca. — Radulphus autem Septem-Fontium haud immemor, Bescellinum, Præmonstratensem e Bella-Valle, anno 1138, excivit, eique resignatis regimine et abbatialibus honoribus, illud cœnobium candido mancipavit Ordini. Ipse vero, extra Norbertinam januam remanens, ad Sancti-Petri-Montem se recepit ibique, die 7ª julii 1140, bonus miles Christi diem obiit ultimum.

Mox in loco cui olim Berca, postea vero *Bonlieu* contigit nomen, in monasterii sui proximitate, Bescellinus de more alterum mulieribus erexit cœnobium quod Beatæ Mariæ sacrum fecit.

Justus-Mons, Sancta Crux-Metensis et Hamerivilla. — A Bella etiam Valle Præmonstratensium Ordini editæ sunt

1. Gall. *Belval*, duabus leucis a Mozomo (*Mouzon*), diœcesis Remensis (hodie, *département des Ardennes*).
2. Gall. *Cressy, près de Grand-Pré*, in Argonnia.

Justimontana[1] ac Burensis abbatiæ in diœcesi Metensi quorum historia plurimis nodis irretita, ad hæc tuto revocari posse videtur[2].

Ad Mosellæ ripas, prope urbem Metensem, in loco qui vulgari sermone *La Grange-aux-Dames* vocatus est, exstitit initio saltem duodecimi seculi geminum cœnobium sancto Eligio dicatum. Ob crescentem fratrum ac sororum multitudinem, priori sede virginibus dimissa, in allodium *Bures* vulgate nuncupatum ab Alberto quodam, Metensi advocato, concessum, religiosi demigrarunt.

Sed, post aliquot annos, exuberanti aquarum colluvie, tantum intumuit Mosella ut Grangiam invaderet penitusque dirueret. Zacharias igitur, Burensis abbas, naufragas in partem monasterii excepit, atque ut iterum totam domum eis cederet, in Justimontano prædio quod interea, anno 1124, ab Euphemia, domina de Watronis Villa, acceperat, monasterium aliud construxit. Morte vero interceptus, suum pietatis opus Lohero successori reliquit absolvendum. Quo quidem tempore Zacharias aut Loherus, candido instituto sese dederint et ad se suosque Norbertina regula informandos, a Bella-Valle præceptores evocaverint, non satis constat, sed pro certo habendum est Justimontanum ac Burense cœnobia, ante annum 1140, in Præmonstratensium numero esse recensenda.

Cum de translatione abbatiæ, cives Metenses et ipsi religiosi multum quererentur, nec aliter questus sopire valeret, Loherus a Justimontana solitudine ad Burenses sedes quæ, ab hoc tempore, ex accepta Crucis Christi particula nomen Sanctæ-Crucis usurparant, suos reduxit, ibique ne sororibus regressi molesti essent, magnum dormito-

---

1. Gall. *Justemont*, prope Theodonis Villam.

2. Historia Justi-Montis a Gabriele *Gallois*, hujus domus canonici, fuit relata, at non typis mandata. Ex hoc manuscripto quod hodie amissum videtur, plurima hausit Hugo Stivagiensis.

rium locaque alia regularia inchoavit ; sed rem infectam e vita cedens, successori suo Stephano transmisit, qui, cum continendæ fratrum ac sororum turbæ Burense cœnobium impar esset, Justimontanum simul amplificavit et inter illa duo, tum canonicorum ac virginum congregationem, tum summam redituum ac debitorum, ex æquo partitus est, retenta sibi utriusque suprema administratione.

Ex qua distributione, magnæ longæque inter utriusque domus canonicos exortæ sunt contentiones quæ, nonnisi multorum Capitulorum decretis et pactis amicalibus resarciri potuerunt. Ad regimen igitur singuli monasterii proprius abbas creatus est, atque omnes utriusque conventus virgines translatæ sunt Hamerivillam[1], haud procul a Justo-Monte (1184).

Salina-Vallis ac Bellum-Stagnum. — Dum litibus istis implicaretur Stephanus abbas, coloniam nihilominus, petente Mathilde *de Hombourg*, ex illustri Salmeorum comitum sanguine, a Justo-Monte, anno circiter 1158, ad Salinam-Vallem[2], inter Vicum et Marsallum emisit, duce Hugone, e suis canonicis, qui brevi sanctimonialibus Bellum-Stagnum ædificavit.

Flabonis-Mons ac Grangia Dominarum. — Eodem ferme tempore quo Justimontanos canonicos Bella-Vallis, multa meritorum laude sub Philippo abbate refulgens, ad Norbertinam vitam pariebat, fœtu novo et honorabili, Flabonis-Montem[3] edidit. Philippi namque fama excitus, Wido, Acri-Montis toparcha[4], ejus visendi atque audiendi cupidissimus, Bellam-Vallem petiit, abbatisque aliquando fruitus colloquio virtutibusque fratrum illectus, Philippum dimittere noluit nisi antea canonicos sibi conce-

1. Hamerivilla, gall. *Hamerviller*.
2. Gall. *Salival*.
3. Gall. *Flabémont*, haud longe ab oppido *Lamarche* (*département des Vosges*).
4. *Gui d'Aigremont*.

deret quorum contubernio uti et precibus sublevari posset; quos, a Bella-Valle sub ductu Stephani profectos, in Flabonis-Monte, prope Marchiam oppidum, anno 1138, annuente Henrico a Lotharingia, episcopo Tullensi, constituit. Recens illud cœnobium parthenone cui nomen Grangia Dominarum, in vicinia erecto, mox fuit de more completum et, paucis post annis, Stivagium[1], gloriosam prolem, Norbertino dedit instituto.

Stivagium et Sancta-Othilia. — Jam a pluribus seculis, sub Vogesis montibus ad confluentes Murtham ac rivulum qui *Rabodeau* gallice vocatur, stabat, antiquitate sua superbum, Stivagiense cœnobium et, si Hugoni fides, ætatis prærogativa inter illustria illa Vogesorum monasteria haud immerito gaudebat. A monachis prius possessum, a Beata Richarde, Caroli Crassi uxore, quæ illud a rege, sicut mores seculi ferebant, in dotem acceperat, ita Parthenoni suo Andelacensi[2] in quem se receperat cum abbatiali dignitate, subditum fuerat, ut recens electus quisque præpositus confirmationem atque investituram ab abbatissa Andelacensi recipere, nec sine ejusdem approbatione quidquam moliri deberet.

Conradus vero, quintus ex istis præpositis, severioris disciplinæ studio succensus, virtutibus et eloquio Stephani Flabomontani captus, confratres suos ad Norbertinæ regulæ observantiam impulit eosque ad Stephanum rapiens, accepta tandem a Mathilde, tunc Andelacensi abbatissa, facultate, se cum sociis vovit militiæ Præmonstratensi. Stephanus ergo, anno 1146, novæ familiæ Gilibertum, e suis canonicis assumptum, ablegavit rectorem, non jam sub præpositi, sed sub abbatis nomine, qui coram Mathilde stetit confirmandus atque investiendus.

---

1. Gall. *Étival (département des Vosges).*
2. Gallicè *Andeleau* vel *Andlau,* in Alsatiæ finibus.

Gilibertus vero, majorum exempla secutus, virginibus, anno proxime sequenti, uno supra urbem quadrante, exstruxit conventum cui Beatæ Othiliæ imposuit nomen, tum ob reverentiam huic sanctæ conciliandam, cum ob strictam et priscam inter Stivagiensem et Hohemburgensem[1] abbatias initam sodalitatem.

Quæ societas strictior etiam anno 1178 evasit. Herradis enim, Hohemburgensis abbatissa, antiquæ hujus conjunctionis haud immemor, ad conservandum alendumque in suis sororibus religiosæ disciplinæ studium, abbatibus Stivagiensibus, non admissa tamen Norbertina regula, cœnobium suum quotiescumque voluerint, permisit invisendum, atque duos ad minus ex eadem domo Stivagiensi canonicos efflagitavit qui suarum moderarentur conscientias et sacris in celebri illa ecclesia una cum aliis canonicis secularibus et præbendatis inibi jam constitutis in perpetuum inservirent; eisque ad hunc finem firmos reditus assignavit curavitque ut, in loco cui nomen a Sancto Gorgone, erigeretur residentia in qua manerent[2] aliquot religiosi, subditi abbati suo Stivagiensi et ad nutum ejus revocabiles.

Bonifagetum. — Stivagiensis domus, gemella quidem soror sed humilior semper, fuit Bonifagetana[3] abbatia : nam eodem fere tempore quo Conradum ejusque socios Stephanus Flabomontanus in suorum numerum adscripsit, a Valentia quadam, sorore Guntheri, unius e suis discipulis, et a Willelmo *de Bernole,* dono accepit illud novum cœnobium honesta, licet tenui, dote a fundatoribus instructum, eique Guntherum præfecit.

Stagnum. — Illis abbatiis tempore propemodum æqua-

1. Hohemburgensis mons, gall. *Sainte-Odile,* in Alsatia.
2. *Histoire de l'abbaye de Saint-Pierre d'Étival,* fol. 145.
3. *Bonfays,* haud longe a *Mirecourt* (*département des Vosges*).

lis, sed Bellevallensium omnium filiarum junior ac modestior fuisse videtur Stanchia[1] (seu Stagnum) quæ anno 1144 ad minus, haud longe ab Hattonis-Castro, in quodam dominio a Berthaldo *de Faverolles*, per manus Alberonis, Virdunensis episcopi, Philippo, abbati Bellæ-Vallis, ad exstruendum ibi cœnobium concesso, fuit excitata. Cui Albero in dotem postea donavit *Martinhan* prædium (nunc Benedictam-Vallem), tunc sat mediocris proventus, sed postea ex peregrinorum affluentia sacram illic B. Mariæ Virginis statuam venerantium, matrice ecclesia pinguius evasit[2].

Mira-Vallis. — E Septem-Fontibus denique, jam frequentiori turba celebribus, haud pauci canonici, solitudinis et vitæ etiam severioris avidi, sub Wilhelmi cujusdam ductu et inspiratione, de consensu abbatis sui, in sinuoso et vix penetrabili terræ angulo cui nomen Mira-Vallis[3] inditum est, duabus a Novo-Castro horis, parva tuguriola construxerunt, anno 1157, ut manuum labore victum in dies compararent et Joannis in deserto pœnitentiam æmularentur; mox vero, Oliverius de Novo-Castro, Haymo, uxor illius, et Viardus *de Rebeville,* solitariorum inopiam miserantes, ipsis fundos ad victum, locumque ad habitationem jure proprietatis transmiserunt; unde monasterium illud crevit et ad maximam prosperitatem pervenit.

Ab Argonnia igitur ad Vogesos, mira celeritate Lotharingia candidum illud monasteriorum Norbertinorum induit vestimentum (nam illam mihi fas est usurpare similitudinem[4]). Ad septentrionalia quidem, ante annum 1200,

---

1. Gall. *L'Étanche,* prope *Hattonchâtel.*

2. Benedicta-Vallis, vernacule *Benoîte-Vaux,* in prioratum conventualem auctoritate Capituli generalis anni 1717, subvecta fuisset, nisi dux Lotharingiæ Leopoldus, erectionis tabulas rescindi sategisset. (Hugo, *Ann. ord. Præm. secul. primum,* p. 257.)

3. Gall. *Mureaux,* prope *Neufchâteau.*

4. Præmonstratenses, ut mox dicemus, candidis vestibus induebantur.

fulgebant tum Bella-Vallis, Sanctus-Paulus-Virdunensis ac Stanchia, tum Justus-Mons, Sancta-Crux-Metensis ac Sancta-Maria-Nemorensis, ut de virorum domibus tantum sermonem habeam; meridianam vero regionem, a Campaniæ finibus usque ad Alsatiam, cinctorio quodam premebant Septem-Fontes, Mira-Vallis, Flabonis-Mons, Bonifagetum, Stivagium atque Hohemburgensis residentia; ad Barrum autem, Janduriæ et Jovillare, ad Commerceium quoque, Regia-Vallis ac Rengis-Vallis apposita erant. Sed illud incendium, ut rapide propagatum, ita celeriter fuit contractum; jam, inter 1150 et 1160 annos, quatuor, et ab anno 1160 usque ad finem seculi quinque tantum fuerunt erecta monasteria : imo vero multa brevi fuerunt exstincta et monastica observantia quæ priori illo seculo maximis virtutum exemplis floruerat, lapsa est in miserandam dissolutionem, cujus causas atque effectus in sequenti capite perquiremus.

CAPUT SECUNDUM.

ORDO PRIMUM FLORET, DEINDE IN DISSOLUTIONEM VERGIT.

---

§ 1. — Regula primitiva Ordinis Præmonstratensis.

Discipuli Norberti regula gubernabantur quam a sancto Augustino, Hipponensi episcopo, acceperant clerici in domo ejus, ut Dei servitio ac fidelium ministerio vacarent, congregati. Hæc vero primigenia regula a sancto institutore *Speculum Clericorum* appellata, postea titulo isto *Sermo tertius de communi vita clericorum* fuit insignita [1].

Sed B. Norbertus nolens, ut verba Hugonis Stivagiensis usurpem, « sub clericalis militiæ nomine, discipulos laxiori vitæ inservire, sed a laboriosæ pœnitentiæ exercitiis ad apostolici muneris functiones alternatim transire [2] », regulæ Augustinianæ nonnullas constitutiones, e *monastica* vita præsertim decerptas, addiderat.

Præmonstratenses ergo, quamdiu Beati Patris præcepta fideles tenuerunt, quotidie nocturnas diurnasque horas, tam canonicas quam Sanctæ Mariæ, specialis totius Ordinis patronæ, in choro psallebant, tresque missas, absque privatis, solemniter celebrabant, matutinam scilicet, Beatæ Virginis ac majorem [3].

Atque, ut toti Deo essent, in ecclesia, dormitorio,

---

1. Pagius eam transcripsit commentariisque illustravit, in Iª parte suæ *Bibliothecæ*, p. 52 et sq.

2. Hugo, *Ann.* Præfatio, III.

3. Pagius, *Bibl.*, p. 221.

claustro, refectorioque atque in omni loco juge custodiebant silentium; corpus suum per mortificationem affligebant; in toto vitæ suæ decursu, exceptis morborum atque infirmitatum temporibus, ab esu carnium prorsus abstinebant, atque a festo Exaltationis Sanctæ Crucis quæ XVIII calendas Octobris celebratur usque ad Pascha continuum observabant jejunium[1].

Sic per orationem et pœnitentiam exercitati, illi Christi athletæ ad opus Dei convolabant, divinum sermonem per vicos urbesque spargebant, curamque animarum suscipiebant in parochiis sibi commissis; lectioni ac litteris incumbebant; libris vacabant tum scribendis, tum componendis, nec a labore manuum abhorrentes, agros ac vineas cœnobii colebant, vicinam regionem silvis eruebant, eorumque opera assidua, terræ ad id tempus incultæ atque inutiles, læta messe flavescebant[2].

Duæ erant religiosorum species, Patres vero seu Canonici, qui cultui divino operibusque spiritualibus, ac litteris indulgebant, et Fratres conversi, seu famuli votis regularibus astricti, qui in rebus materialibus præcipue versabantur[3].

Alba ac lanea tunica omnes induebantur, nec cuiquam, nisi infirmis, usus linearum vestium, ne in carne quidem, concedebatur. Canonici vero in humeris laneum etiam ac candidum scapulare gestabant quod ad pedes utrinque defluebat; domi, ejusdem coloris ac materiæ cucullum; in choro autem, hiemis tempore, rochetum lineum, cappam et cucullum alba ac lanea; per æstatem vero superpelliceum atque almutium desuper inducebant. Cum e conventu exibant, petasum album capiti magnumque pallium a

1. Pagius, *op. cit.*, p. 209
2. *Ibid.*, p. 229, 233.
3. *Ibid.*, p. 23.

clericis omnibus tunc usurpatum, sed album quidem, humeris superimponebant. — Conversorum autem fratrum, scapulare quod ad genua tantum descendebat, et cappa candida non erant, sed pulla [1].

Toti conventui præerat præpositus, aut si, quod plerumque evenerat, cœnobium abbatiali titulo gaudebat, abbas qui, ex jure canonico, usque ad mortem dignitatem servaturus, aut ab omnibus monasterii professis eligebatur, aut a prædecessore in coadjutorem ac successorem, annuentibus canonicis, cooptabatur. Abbas vero baculum pastorale, mitram, crucem pectoralem, annulum atque alia episcoporum insignia gerebat, subditosque suos in clericos attondendi et ad ordines minores elevandi jure fruebatur. In regimine communitatis a priore claustrali et in bonorum administratione a procuratore adjuvabatur [2].

Præter ipsum cœnobium, abbas aut præpositus sub se habebat Prioratus curatos [3], scilicet parochiales quasdam ecclesias ab uno vel pluribus canonicis abbatiæ presbyteris moderatas [4] ac Prioratus simplices seu curias, scilicet villas, grangias, prædia, curtes, etc., in quibus olim, constructis oratoriis [5], emeriti canonici duo vel plures, ad sacramenta ministranda divinaque officia celebranda, cum magna laicorum copia ad agros colendos curandamque rem domesticam, cuncti vero ad nutum abbatis revocabiles, collocabantur.

Parthenones etiam, licet a virorum monasterio remoti, Matricis Abbatiæ præsuli remanebant subjecti ; sed ad eorum administranda bona percipiendosque reditus inter

---

1. Pagius, op. cit., p. 217. — Hélyot, *Ord. relig.*, II, ch. XXIII.
2. Hugo, *Ann.* Præf.
3. *Ibid.*, pp. 233, 283, ch. XXIII.
4. Sancti-Pauli-Virdunensis abbas 25 ecclesiis parochos præstare debebat; Sanctæ-Mariæ-Mussipontanæ præsul, quinque ; Miræ-Vallis, undecim, etc. (Cf. Hugonis Monasteriologiam.)
5. Exempli gratia, Benedicta-Vallis..., *Blanzey*, prope Buxerium-ad-Quercus (*Bouxières-aux-Chênes*), etc.

canonicos cœnobii presbyteros, unum vel plures, de consensu abbatis, sibi eligebant virgines qui in eodem loco, si distantia domorum exigeret, seorsim commorabantur, et temporalibus simul ac spiritualibus curis incumbebant [1].

Monasterium singulum prope ab aliis solutum erat, novitiatum habebat proprium, neque, nisi raro, cum aliis cœnobiis professos commutabat; toti vero Ordini Præmonstrati abbas honore et auctoritate præerat, sed, ut inquit Hugo[2], « ne vertex ipsius Ordinis, summo rerum judicio gaudens, obsequii gloriam tantum ceteris relinqueret, nulli obsequens », B. Norbertus voluit ut Capitulo generali quod ex omnibus abbatibus ac præpositis congregabatur et quotannis[3] Præmonstrati celebrabatur, Archi-abbas ipse præstaret obedientiam, ejusque subesset jurisdictioni atque ab ejus arbitrio penderet totus. In hac synodo patres congregati de omnibus ad rectam Ordinis vitam spectantibus decernebant *definitores*que ac *circatores* [4], utrosque annuos eligebant. Circatores singula utriusque sexus cœnobia in regione sibi commissa circumeundo perlustrabant disciplinamque vel plenaria auctoritate continebant florentem, vel lapsam instaurabant.

Primitus cuique ecclesiasticæ provinciæ, suus circator erat; sed postea, cum metropoles, vel pauciora, vel plura complecterentur monasteria quæ aut unius visitatoris diligentiæ non sufficerent, aut illius vires excederent, patres in Capitulo generali congregati, anno 1320, judicarunt non per metropoles denuo, sed per regiones dividenda cir-

1. Pagius, op. cit., p. 349 et sq.

2. Hugonis *Ann.* Præfatio, IV. Cf etiam Pagium, op. cit., p. 240.

3. Pagius, op. cit., 251.

4. Circaria, in hoc Ordine, idem sonat ac Provincia; circator interdum vocabatur vicarius generalis, nam in perlustrandis provinciis Generalis vices gerebat.

cariarum territoria et 29 circarias instituerunt[1], inter quas Lotharingia haud infimum obtinebat locum.

Canonicam instituere visitationem poterant, non solum abbas Præmonstrati ejusve vicarius generalis per totum Ordinem, circatoresque in provincia sua, sed etiam abbatiarum matricum præsules in monasteriis filiationis suæ qui *Patres Abbates* aut *Patres immediati,* apud eos vocati, ex jure abbatum filiorum electioni aderant eamque confirmabant; de regulæ observantia inquirebant; religiosorum querelas excipiebant, etc.[2]... Unum referre satis sit : Remigius *Gelée,* XXV abbas Sancti-Pauli-Virdunensis, qui « infausto cognominis augurio charitatem inter se ac subditos maxime congelatam frigescentemque fecerat, ab iis-

---

1. Juvat 29 circariarum nomina ab Hugone et Pagio relata, in hoc loco recensere.

1. Circaria Franciæ, in Campania præsertim.
2. Circaria Floreffiæ, in Gallia Belgioque.
3. Circaria Pontivi (gall. *Ponthieu*) in Normanniæ et Picardiæ finibus.
4. Circaria Brabantiæ.
5. Circaria Flandriæ.
6. Circaria Westphaliæ.
7. Circaria Vadegotiæ, in diœcesibus Trevirensi ac Moguntina.
8. Circaria Yveldensis, in Herbipolensi diœcesi.
9. Circaria Lotharingiæ.
10. Circaria Angliæ Borealis et Scotiæ.
11. Circaria Angliæ Medianæ.
12. Circaria Angliæ Australis.
13. Circaria Hiberniæ,
14. Circaria Normanniæ.
15. Circaria Vasconiæ.
16. Circaria Hispaniæ.
17. Circaria Burgundiæ.
18. Circaria Arverniæ.
19. Circaria Frisiæ.
20. Circaria Sueviæ et Bavariæ.
21. Circaria Bohemiæ et Moraviæ.
22. Circaria Poloniæ.
23. Circaria Livoniæ.
24. Circaria Hungariæ.
25. Circaria Daniæ et Norvegiæ.
26. Circaria Sclavoniæ.
27. Circaria Græciæ et Jerosolymitana.
28. Circaria Saxoniæ.
29. Circaria Romana seu Tusciæ.

(Hugo, *Ann.* Præf. — Pagius, op. cit., p. 326.)

2. Pagius, *Biblioth.*, p. 256. — Hugo, *Ann.* Præf., VII.

dem apud patrem abbatem haud semel accusatus fuit et ab eo rursus in Capitulo generali denunciatus[1].

Præmonstratensis igitur Ordo, cum monasteriis constaret a se invicem prorsus solutis, sed magisterio et imperio supremo abbatis Præmonstrati et Capitulorum generalium moderatis, circatorumque ac patrum abbatum vigilantia semper excitatis, sicut Benedictinorum et Cisterciensium ceteræ congregationes[2], societatem quamdam fœderatam constituebat omnibusque adjumentis ad conservandum alendumque Beati Institutoris spiritum ac fervorem, statim ab initio fuit instructus.

§ 2. — Remissa disciplina in Ordine Præmonstratensi.

Duobus fere seculis illa prisca observantia, per universum Ordinem viguit intemerata tantoque exemplo ut, si Joanni *Midot* fides[3], abstinentiæ perpetuæ consuetudinem ex Præmonstratensi in Ordinem suum B. Dominicus derivasset.

Sed interea tamen in austeriorem regulam, canonici atque abbates non pauci semel atque iterum invecti fuerant ut aliquod levamentum impetrarent[4]. Quibus principiis obstare satagens, Nicolaus papa IV, concessa viatoribus tantum vescendi carnibus licentia, jejunium ternis sextis feriis in aqua et pane, pro singula culpa, anno 1288, injunxit tam abbatibus qui carnium usum sanis concederent, quam religiosis qui, sine justa ac legitima infirmitatis causa, carnes manducarent[5].

Sed priori ista concessione, querentium crevit audacia :

1. Hugo, *Ann.*, II, 517.
2. Eadem etiam nunc viget regiminis forma in ambabus Trapistarum congregationibus.
3. *Vindic. Comm. Norb.*, p. 193.
4. *Mém. sur Brieulles*, fol. 30.
5. *Vindic.* Ibid.

multorum abbatum flagitationibus devicti Summi Pontifices, inviti plerumque, monasteriis primum iis quæ a jejunio atque abstinentia jam sponte sua exciderant[1], et tandem, Julius II, rescripto Romæ anno 1503 dato[2], ceteris etiam totius Ordinis cœnobiis, abstinentiam perpetuam ab esu carnium singulis quartis feriis et sabbatis, tempori Adventus novemque hebdomadibus quæ a Septuagesima præcedunt Resurrectionem aliisque diebus omnibus ac singulis Christi fidelibus ab Ecclesia præscriptis restrinxerunt. Jejunium quoque longissimum quod, sicut in multis aliis Ordinibus, ab Exaltatione Sanctæ Crucis usque ad Pascha per sex aut septem menses continuos protrahebatur, in jejunium singulæ feriæ sextæ, Adventus et totius Quadragesimæ eodem diplomate fuit commutatum.

Ad roborandam legem abususque novos coercendos, Julius II ternum jejunium in pane et aqua delinquentibus imposuit, sed animorum hominum infirmitate qui statim atque præcipites deorsum ferri cœperunt, vix retineri possunt quin ad imum dilabantur, canonici Præmonstratenses, admissis istis constitutionibus quas a Julii II facilitate obtinuerant, haud idcirco perfectiorem, sed e contra demissiorem, vitam duxerunt[3].

Interdum tamen segnes religiosorum animos excitarunt

---

1. Pius II (1460), Sixtus IV, Alexander VI, (*Mém. sur Brieulles*, fol. 30.) Hélyot, *Ord. rel.*, II, ch. XXIII.)

2. Datur a Pagio (Lib. III, p. 727).

3. *Mém. sur Brieulles*, fol. 31. — De hoc rescripto P. Macarius Guinet sic loquitur : « *Jules II avoit été longtemps cardinal.... le dernier jour d'octobre étant choisi pape ; le 22 ou 23 novembre de l'an 1503, il dépécha cette belle bulle et bien ample, apposée en chef des statuts de notre Ordre, contenant un grand narré et un ramas de tout ce qui avoit esté fait par ses prédécesseurs Pie II, Sixte IV, Alexandre VI, en faveur de la dispense prétendue par les religieux de l'Ordre de Prémontré, et donna une confirmation et un agrément* bien surprenants vu le peu de temps qui fut employé pour cela, *et comme s'il avoit préposé l'Ordre de Prémontré a toute l'Église Universelle qui ne manquoit pas de grandes affaires en ce temps-là, et en ces mesmes 23 jours octroya ce qu'il y avoit 48 ans qu'on demandait.* » (Op. cit., fol. 30.) Ex quo apparet Julium II a P. Mac. Guinet insimulari quod rem tam gravem tantique momenti præpropere egisset.

bella frequentiora quæ per tota illa secula reges aut toparchæ inter se et, seculo decimo sexto, protestantes ac catholici invicem gesserunt.

Anno 1427, Metenses cives, a duce Carolo II aggressi, agros Sanctæ-Mariæ-Nemorensis invaserunt, cœnobioque ferro flammaque vastato, canonicos quolibet fugarunt perque duos annos infestam fecerunt regionem[1].

Alternis postea Burgundiorum ac Gallorum armis, anno 1439, Lotharingia inermis et suo duce Renato destituta, sic devastata est ut Bonifageti, ne sacris quidem ædibus fuerit parcitum. Fugitivi ac spoliati Bonifagetenses monasterium prædonibus dereliquerunt, atque asylum victumque in regionibus dissitis quæritantes per sexennium integrum a cœnobio exsularunt[2].

Eodem ferme tempore, a protervis militibus Renati Andegavensis et Antonii Valdemontani in Rengis-Vallem præda atque incendio fuit sævitum. Desiderius autem *de Courcelles*, abbas electus, non aliunde nisi ex fidelium liberalitate afflictam domum e ruinis excitare valens, sacrum sancti Matthæi Apostoli caput quod capsa inclusum argentea in abbatia religiose servabatur, per vicinas diœceses, annuentibus episcopis, a suis canonicis circumferri curavit, qui « pietate quæstuaria ad liberalitatem fregerunt corda populorum[3] ». Sed instaurandis ædificiis *porcorum pigra propago* novam atque inauditam cladem attulit. Villæ proximæ cui nomen *Boucq*[4] incolæ in cœnobii nemora octoginta porcos, jure reciprocitatis, ad pascendum immiserunt; ad temeritatem hanc coercendam, abbas saltuarios deputavit qui armentum caperent et in monasterii chortem deducerent. Captionem porcorum ut

1. Viville, *Dict. de la Moselle*, cité par Civry, p. 62.
2. Hugo, *Ann.*, I, 384.
3. Hugo, *Ann.*, II, 642.
4. Haud longe a Tullensi Civitate.

primum villici audierunt, ira perculsi, securibus gladiisque armati, Rengis-Vallem turmatim aggressi sunt, fores effregerunt et non porcos solum recuperavere, sed rabidi etiam ac mortem minantes, cœnobium peragrarunt, ecclesiamque in quam religiosi se receperant subientes, obvios aliquot ferierunt ac demum ovantes porcosque ante se agentes, spoliis redierunt onusti.

Bellis istis ac direptionibus ad maximas rerum angustias conventus persæpe redacti erant. Anno 1390, prædonibus passim in villas irruentibus, ita minuta fuerat Sancti-Pauli domus, ut ad consulendum suæ sustentationi religiosi claustrum deserere coacti essent, et ibidem, post viginti annos, ea erat adhuc penuria, ut emendis cibis quadragesimalibus impar, ova ac lacticinia subditis subministrandi licentiam abbas petere debuisset [1].

Sed (atque hæc multo graviora erant) inopiam illam quæ a viris paupertatem voventibus haud adeo abhorrebat, religiosæ vitæ remissio plerumque comitabatur. Sane, pro viribus suis, abbates curabant ut ex bellorum tumultibus et canonicorum dispersione regularis observantia non adeo pateretur: circariæ Lotharingiæ præsules, ad Paulinum monasterium anno 1409 convenerunt ut nutantem ex iniquitate bellorum fulcirent disciplinam [2]; sed ipsa vi rerum disciplinæ nervus dissolvebatur. A cœnobio errantes et sæpius per plures annos dispersi atque exsules, cum tandem ad claustrum revocarentur, labori ac silentio desueti, nonnisi diligenti ac perseveranti abbatum industria ad pristinam vitam reduci poterant; sed monasteria non pauca, in *commendam* [3], per-

---

1. Hugo, *Ann.*, II, p. 517.
2. Ibid., p. 518.
3. Quoties abbati regulari, a canonicis ipsis inter Ordinis professos assumpto, clericus quidam secularis, bulla apostolica a principibus secularibus efflagitata, in honores, reditus ac jura abbatiali dignitate congruentia, religiosis non consultis, substituebatur, abbatia in Commenda dicebatur.

niciosam cœnobiorum pestem, lapsa, abbate regulari destituebantur.

Ex jure quidem canonico, nulla abbatia nisi sacerdoti aut clerico ad sacerdotium mox accessuro, commendari poterat, sed legi sæpissime fuit exceptum : abbatialis enim dignitas pueris haud semel fuit collata aut viris qui, tonsura olim ab episcopo accepta, sed non abhinc gestata, nihil ultra clericorum habebant.

Cum commenda, nec curam animarum, nec etiam residentiam imponeret, sed jus solummodo ad honores et ad reditus suppeditaret, multi ad proventus augendos, beneficia plura in manibus suis colligere satagebant.

Unde, quasi ad divitem prædam in beneficia avide concurrebatur: alii, ut in Flabonis-Monte, Anna *du Châtelet* Joannem Pasel (1526) et Joannem Merot (1549), abbates regulares, seu minis, seu precibus, seu donis, ad beneficium sibi resignandum adducebant [1]. Alii e contra abbatem a Capitulo canonice electum armis exagitabant : ædes abbatiales et prædia Paulini monasterii, Ludovicus a Lotharingia, Renati II filius, episcopus Virdunensis renuntiatus, cum Joannes *Charlier* abbas a religiosis creatus esset, militum stipatus caterva, invasit et re, si non jure, adiit abbatiæ possessionem [2]. Alii denique supremam hanc dignitatem armis arripere non valentes, annuam pensionem ad pacem exigebant; idem Ludovicus, Francisco Psalmæo, in Joannis *Charlier* defuncti locum assumpto, sibi 800 fbs. quotannis persolvendos promittenti, pastorale baculum tandem relinquere consensit [3].

Sæpe, ut videre est in Flabomontanis Bonifagetanisve aut Bellevallensibus annalibus [4], abbatiæ, velut patrimo-

1. Hugo, *Ann.*, I, 661. — Guyot, *Un épisode de Flabémont*, p. 4 et sq.
2. Hugo, *Ann.*, II, 521.
3. Id., Ibid.
4. Hugo, op. et loc. cit. — Guyot, op. cit.

nium quoddam, ab una familia usurpabantur et a fratre in fratrem, ab avunculo in nepotem, quasi de manu ad manum transibant.

Licet, in Lotharingia, Præmonstratenses, ut ceteri ordines, *torrentem commendæ* qui multarum regionum pleraque monasteria, ab observantia religiosa tam infeliciter evertit, diu a multis abbatiis submoverint, miserandos tamen casus a commenda illatos, in Bella-Valle, Flabonisque Monte, in Mira-Valle et in Sancto-Paulo-Virdunensi aliisque etiam, cernere ac lugere potuerunt.

A commenda enim maxima sæpe invehebantur damna. Summi quidem Pontifices, cuique beneficiario, cum abbatiam in commendam ipsi concederent, injungebant ut ad redituum separationem ante omnia procederet, quorum pars una victui canonicorum abunde sufficiens, sub nomine mensæ conventualis, communitati relinqueretur, ac pars altera, mensa abbatialis nuncupata in manus abbatis cederet; at in multis locis omissa fuit lex illa sapientissima. Apparent igitur rari, in conventuum annalibus, fiduciarii qui, ut Anna *du Châtelet* abbas Flabonis-Montis commendatarius, canonicos sibi commissos laute alerent[1]; ab avidis plerumque beneficiariis, velut ab helluonibus, fere tota cœnobiorum substantia consumebatur.

Mirevallense monasterium, haud inducta mensarum separatione, mediante XV seculo, a Christophoro *de Choiseul* ad eas angustias fuit redactum ut religiosi exsules et vagi victum, aut laborando, aut mendicando, in diem sibi quærere cogerentur[2].

Malum tamen illud canonicis ad apostolicam paupertatem et ideo ad perfectiorem vitam revocatis, proficere

1. Guyot, op. cit., p. 8.
2. Hugo, op. cit., II, 509.

potuisset in bonum nisi eos, uno eodemque damno, capite orbavisset.

Beneficiarius enim, ad residentiam non coactus, pluribus insuper abbatiis haud raro potitus, de monasteriis suis, nisi ad percipiendos per procuratores reditus, minime curabat, generaliaque Ordinis non frequentabat Capitula, totumque communitatis spirituale regimen priori claustrali relinquebat qui, ut fratres suos ad demissiorem vitam labentes retineret, auctoritate satis firma non valebat.

Quid mirum igitur si Bellevallensium chronicorum scriptor hanc memoriam habuit de illo ultimo abbate regulari qui Francisci I, Francorum regis, imperio cedens, seculari resignaverat abbatiam : « *Commemoratio Dñi Joannis* de Verpel, *quondam abbatis hujus Ecclesiæ : gubernavit ipsam triginta annis, postea in magnum Ecclesiæ detrimentum resignavit in manibus secularium, unde ærarium exhaustum est et divinum officium imminutum. Tamen requiescat in pace*[1]. »

Ex his ergo diversis causis regularem observantiam haud raro simul labefactantibus, pleraque monasteria in miserandam conditionem erant deducta. Vix « cœnobiorum[2] » nomen præ se ferre adhuc poterant, nam dormitorio refectorioque, choro etiam atque ceteris locis communibus desertis, religiosi aut in cellulis suis vitam velut sequestrem agebant, aut aliis paucis sibi in intimam familiaritatem cooptatis, cœnobia aut eremitoria plura in uno eodemque cœnobio quasi constituere videbantur. Laborem manuum fratribus conversis atque mercenariis ac tironibus etiam relinquentes litterarumque studia ita fugientes ut vix elementa latinæ linguæ haud pauci non callerent, venationi quidem ludisque aliis religioso statui parum

---

1. Hugo, op. cit., I, 262.
2. Κοινὸς βίος, id est vita communis.

congruis, profanisve colloquiis ceterisque desidiosorum oblectationibus indulgebant; et cum, ut ait quidam, omnem malitiam docere soleat otiositas, tria illa vota, castitatis scilicet, paupertatis et obedientiæ, quæ maxime religiosam vitam continent, vehementer interdum concutiebant[1].

Monasteriorum enim divitiæ benefactorum oblationibus fratrumque industria in dies auctæ, quando a commendatariis aut prædonibus non diripiebantur, in manus tamen egenorum non semper cedebant, aut aliis charitatis operibus non adhibebantur, sed ad aliquot regulæ levamenta sibi indulgenda vel in mensa, vel in lectis vestibusve, a canonicis plerumque subducebantur. Imo vero, paupertatis quam Deo voverant haud memores, communitatis bona in proprietatem multi sibi distrahebant.

In superiores etiam quibus, die professionis, reverentiam et obedientiam cum juramento promiserant, religiosi nonnunquam conspiraverunt. Stivagii enim, dum Joannes *de Maizières*, XXXII abbas, de Antonio Doridant, viro optimo, successore sibi assumendo meditabatur, canonici, in Neopardi ecclesia, inscio Joanne, collecti, Nicolaum Saffroy, Antonii loco, eligere tentarunt[2]. Eo etiam amentiæ venerunt Mirevallenses et Nemorenses ut hi in Danielem Picard[3], illi in Petrum *de Muzo*[4], de instauranda disciplina cogitantes, mortem molirentur.

Regularem vitæ rationem totis viribus fugientes, viros ad conventus dignitates eligebant qui aut juniores, aut ingenio faciliores essent quam ut duraturam, si quam forte

---

1. Hugo, *Ann.* Sancta-Maria-Mussip., Salina-Vallis, Stanchia, Stivagium, etc. — *Arch. dép.* H 1130. — *Mém. sur Brieulles*, fol. 31. — Abram, *Hist. Univ. Mussip.*, fol. 130. — *Ramusculus excerptus*, p. 31.

2. Hugo, *Ann.*, II, 910.

3. Abram, op. cit., fol. 131. — *Mém. sur Brieulles*, fol. 32.

4. Hugo, op. cit., II, 307.

inchoare vellent, reformationem inducere valerent, et antequam ad comitia venirent, cautionibus sæpe ac sponsionibus candidatos obstringebant ut nihil contra libertatem suam, ne licentiam dicam, meditarentur. Stivagii, Petrus *de Corsieux,* una cum fratribus aulam capitularem ingressurus, ut capitulantium voces sibi conciliaret, ad connivendum cum eis in quibusdam regulæ laxamentis die 19ª Februarii 1480, se juramento obligavit [1].

Haud ægre quidem plerique in has conditiones descendissent, nam in appetendis honoribus ac divitiis immodici « quantalibet facilitate, redempturi essent mutuam dissimulationem mali ». Petrus Joannes Mathu, Jovillaris canonicus, pedum pastorale exoptans, a pactis simoniacis non abhorruit et sponsionibus cessionis quarumdam cœnobii decimarum, toparcham Septemvillæ in suas partes allexit, qui voces capitulantium vi atque armis sibi extorqueret [2].

Haud igitur immerito Petrus ille *Raguet* de quo postea dicemus, de mœstissimo Ordinis sui statu his verbis querebatur : « *Chose déplorable de voir si peu de bons abbés audit ordre, qui néanmoins ont l'entière direction d'iceluy dans les Chapitres et partout à l'exclusion des prieurs que même ils instituent à leur gré..... qui souvent n'ont de religieux que l'habit qu'ils prennent seulement pour avoir plus de moyens de se flatter ; au lieu que les vrais religieux quittent leurs biens propres pour le porter dignement* [3]. »

Attamen, licet vitam mollem incolis suis polliceri viderentur, ædes illæ amplissimæ quæ olim recipiendis virorum turmis vix sufficiebant, tunc lugebant fere vacuæ.

Parthenones, duodecimo currente seculo, fere omnes a

---

1. Hugo, *Ann.*, II, 905.
2. Ibid., I, 926.
3. Raguet, in libello quem, anno 1645, abbatiam Præmonstrati abdicans Regi et Reginæ porrexit (Hugo, op. cit., I, 52).

virginibus fuerunt deserti. Licet enim Romani Pontifices, iterum atque iterum præcepissent ut monialibus procul a monasteriis canonicorum translatis congrua sustentatio e bonis abbatiæ matricis, partitione bonorum semel facta, in perpetuum ministraretur, nonnullorum tamen præsulum cupiditate hanc pensionem recusantium, immensus ille Præmonstratensium virginum numerus brevi ad nihilum fuit redactus et, bellis etiam adjuvantibus, parthenones incolis vacantes in prioratus simplices aut curtes fuerunt transformati et in priscorum suorum monasteriorum dotationem redierunt [1].

Anno etiam 1552, Sanctam-Crucem-Metensem una cum Sancti-Martini abbatia, ad arcendum a mœnibus civitatis Caroli V imperatoris exercitum, Franciscus a Lotharingia, dux Guisiæ, penitus solo æquavit. Canonici vero in civitatem inducti, ad antiquum suum Sancti-Eligii hospitium secesserunt; sed Hugonis Lachaise in Caroli V partes invicto studio, ejusque successoris Petri Jodin insidiis infensus Cardinalis a Lotharingia, episcopus Metensis, hujus abbatiæ bona et reditus instituto nuper Jesuitarum gymnasio, anno 1590, asseruit: quam translationem a Gregorio XIV, summo Pontifice, et Henrico IV, Gallorum rege, roboratam, nec sua diligentia, Joannes *Chesnau* a Patribus capitulantibus, cœnobii hujus non jam existentis abbas electus, nec etiam, sua rerum experientia, Servatius *de Lairuels,* rescindere potuerunt et ideo temporum lapsu, Principumque accedente patrocinio, Metense collegium, auctoritatis et præscriptionis jure, Sanctæ-Crucis dotatione pacifice fruitum est [2].

Unde decimo sexto ad finem vergente seculo, e viginti sex monasteriis quæ in Lotharingiæ finibus duodecimo

---

1. Pagius, op. cit., 349 et sq. — Hugo, *Annales,* passim.
2. Hugo, *Ann.*, I, 572.

seculo fere simul exsurrexerant, quindecim tantummodo exstabant; scilicet in diœcesi Tullensi, Sancta-Maria-ad-Nemus, Stivagium cum Sanctæ-Othiliæ residentia, Bonifagetum, Flabonis-Mons, Janduriæ, Jovillare, Rengis-Vallis et Regia-Vallis; in diœcesi Metensi, Justus-Mons ac Salina-Vallis; in diœcesi Virdunensi, Sanctus-Paulus et Stanchia; in diœcesibus tandem Remensi et Lingonensi, Bella-Vallis et Septem-Fontes in Bassiniaco.

CAPUT TERTIUM.

REFORMATIO IN PLURIBUS LOCIS VARIIS VICIBUS TENTATA, A SERVATIO DE LAIRUELS IN MONASTERIO SANCTÆ-MARIÆ-NEMORENSIS INCHOATUR.

Cum Lutherus ejusque instituti fautores reformandam esse Ecclesiam in capite et in membris clamitarunt, revera, ut vidimus, non tam legum ecclesiasticarum aut religiosæ regulæ defectu quam plurimorum vitiis aut negligentia variisque rerum ac temporum conditionibus, in plerisque Ordinis Norbertini monasteriis fervor languebat; sed res tamen non sunt augendæ. In tanta enim canonicorum turba, multi adhuc fideles ac boni servi Dei vacabant ministerio: nonnulli etiam, de fratrum suorum negligentia et Ordinis dissolutione gementes ad pristinum perfectionis studium sodales, quantum in ipsis esset, revocare satagebant.

In Salina-Valle, sub Anstiano Marien abbate (1553-1573) floruit Jacobus *Le Bailly* eximius doctor, non modo doctrina sed etiam pietate gravis qui, ut fert ejus epitaphium, « perfecte linguas græcam, hebraicam atque latinam calluit et docuit[1] ».

Sed præ ceteris eminuit Nicolaus Psalmæus, Calvo-Monte-ad-Erram (*Chaumont-sur-Aire*) anno 1518 natus, doctor in Theologia et in Jure canonico, post avunculum suum Franciscum Psalmæum, abbas factus Sancti-Pauli-Virdunensis (1538); tantos virtutis et doctrinæ radios ubique sparsit ut, anno 1542, in abbatem Præmonstrati fuisset postulatus; sed cum, obstante cardinali Pisano, in

1. Hugo, *Ann.*, II, 724.

nihilum abiisset postulatio fratrum, Psalmæus, anno 1548, a Joanne, Lotharingiæ principe, episcopo Virdunensi ac cardinali, ad diœceseos Virdunensis sollicitudinem et prælaturam ipsius loco fuit evocatus. Concilio Tridentino interfuit, magnamque in arduis fidei et disciplinæ questionibus partem habuit, et *Diarium ac Medullam Patrum hujus Concilii* collegit ac doctissimis elucidationibus illustravit; quæ omnia Hugo Stivagiensis inseruit in suo II° libro *Sacræ Antiquitatis monumentorum*. Adversus hæreticos diœcesim suam ac civitatem verbo et armis tuitus est et cum, instante Caroli V obsidione, Boucardus, Virduni præfectus, Paulinum monasterium, sub ipsis mœnibus situm, intra paucos dies, a fundamentis usque dirui jussisset, Psalmæus, suis expensis, ecclesiam alteram ac cœnobium novum intra mœnia construxit. Anno 1558 gymnasium ad juventutem erudiendam instituit, et magnopere Carolum à Lotharingia, archiepiscopum Remensem, adjuvit in erigenda Universitate Mussipontana. Mortuus est die 10ª Augusti 1575 et sepultus est in ecclesia sua cathedrali[1].

His quidem temporibus, in fere omnia Ecclesiæ membra, auctoribus Concilii Tridentini patribus, ab episcopis abbatibusque ac sacerdotibus zelo Dei flagrantibus, invehi cœpit sedula restauratio; quo renovationis labore, Lotharingia nostra in primis fuit sollicitata et permota : nam, ex illa fere simul surrexerunt, tum Benedictinorum congregatio a Desiderio *de La Cour*, Sancti-Vitonis abbate, instituta, a sanctisque Vitone et Hydulpho nuncupata, et congregationis Sancti-Mauri mater atque exemplar; tum

---

1. Cf. *Sacræ antiquitatis monumentorum* præfationem, ubi vita Psalmæi fusius describitur. — Roussel, *Histoire de Verdun*, II, p. 6. — D. Frizon, *Petite Bibliothèque verdunoise*, II. — *Continuation de l'histoire verdunoise au temps de Nicolas Psaume*, par Husson l'Écossais. — D. Gabriel, *Étude sur Nicolas Psaume, évêque et comte de Verdun*. Verdun, Doublat, 1867. In-8°.

congregatio Domini-Nostri, quam B. Petrus Forerius inter septem Canonicorum regularium domos formavit; tum denique sodalitas Norbertina seu Antiqui-Rigoris quæ, auctore Servatio *de Lairuels,* e monasterio Sanctæ-Mariæ-Nemorensis orta, multos Præmonstratensium conventus amplexa est. Sed, ante Servatium, alii, non solum in ceteris circariis, sed etiam in Lotharingia, in remissam disciplinam aciem instruxerant.

Annis 1558 et 1559, Franciscus *Le Coq,* ex Benedictino monacho Norbertinus canonicus ac Janduriarum abbas, a Capitulis generalibus circator in Burgundia ac Normannia constitutus, ut regularem observantiam quam in suum monasterium prius reduxerat, alibi etiam resuscitaret, strenuam impendit operam [1].

Stivagii etiam, Antonius Doridant, Joannis *de Maizières,* abbatis coadjutor ac successor, languentem in religiosis fervorem, circa annum 1581 verbo excitavit et exemplo: dilapsam regularem vitam exstruxit, subditos amore fovit et rexit, rebelles domuit imperio et, anno 1609, abbatialem curam Desiderio Frouart, Universitatis Mussipontanæ alumno, quem sibi coadjutorem cooptaverat, resignavit, meritis dives ac diebus [2].

Nicolaus Aubertin, post Mariani Hanneman, consiliarii Ducis Antonii, ex abbatiali cathedra discessum, factus abbas Salinæ-Vallis (1535), ut reformationem induceret sedulo conatus est; illud instaurationis opus exceperunt successores ejus Anstianus Marien et Matthæus Pierson qui, vicarius generalis semel atque iterum a Capitulis generalibus renuntiatus et in Lotharingiam, Vadegotiam, Westphaliam ac Germaniam missus, totum se dedit propagandæ reformationi [3].

1. Hugo, *Ann.*, I, 857.
2. Hugo, *Ann.*, II, 912.
3. Ibid., II, 723.

Denique, ut de ceteris sileam, die 29ª Decembris anni 1594, defuncto Desiderio *Mathuson*, Daniel *Picard,* gente Lotharingus, Sanctæ-Mariæ-Nemorensis, licet 27 tantum annos natus, communi omnium suffragio abbas fuit electus. Hi enim religiosi tenera Danielis ætate freti, juniorem ac simplicem virum elegerant quo liberius, sub isto minoris auctoritatis præsule, sibi indulgere possent[1].

Sed vir ille *bonus ac timoratus,* ut primum monasterii negotia tractare cœpit, nihil habuit antiquius quam ut Norbertinam religionem innumeris ibi corruptelis dilaniatam vindicaret proprietatisque abusum penitus exstirparet. Aliquot, ad hunc finem, e proximo Mussipontano collegio, Societatis Jesu patres accersivit qui, spiritualibus exercitiis ad mentem sancti Ignatii canonicos suos ad perfectionem excitarent et velut reformationis solum præpararent. Ipse tironibus ac junioribus regulam et peculiares Ordinis observantias explanavit, seniores obsecravit, segnes excitavit, protervos arguit, singulorum vulnera benigna manu pertentavit, adhibens aptam cuique medicinam.

Dum huic operi totus incumberet, Servatium *de Lairuels,* circariæ visitatorem, in sua domo excepit et de illius meritis ac præclaris dotibus edoctus, ejusque monitis et exemplis in suo consilio confirmatus, veritus quidem ne vir tantæ virtutis ab alia Ecclesia ad prælaturam expeteretur, illico laborum ac dignitatis coadjutorem illum sibi elegit; nec maturius quidem, nam cum Servatius ad bullas suas obtinendas, Romam divertisset, improbi quatuor canonici omnem aspernantes disciplinam, occulta conspiratione inita, venenum ex araneis, ut aiunt, expressum in Danielis promulsidem infuderunt ; peste igitur ad

1. *Ramusculus excerptus*, p. 31.

viscera paulatim serpente atque intimas medullas penetrante, reverendus abbas contabuit[1].

Picardi paulo post ex jure successor designatus et utor, Servatius ad Sanctam-Mariam advolavit, et parricidis pœna mulctatis, demortuoque honorifice tumulato, instaurationis interruptum opus valida manu suscepit.

Servatii facta, ex vita nondum edita quam Mariani patres[2] scripserant eique commodarant, narravit Pater Abram in sua Mussipontanæ Universitatis historia[3]. Hujus dicta, pene ad verbum referemus, ademptis quæ ad rem nostram non faciant, additisque pro rei necessitate aliquot explanationibus.

Servatius *de Lairuels*[4], in seculo dictus Annibal, patria Sogniacensi, in comitatu Hanagavensi[5], patrem habuit Servatium, equitem, a Cæsare Carolo Quinto ob præclara belli facinora inter patricios adscitum, a quo cum Annibal, litterarum exspers, iisdem artibus erudiretur, jam adolescentulus annorum circiter sexdecim, in exercitatione ludoque campestri sternacis equi quem domandum susceperat, tergo dejectus, præsente ac spectante patre, sibi tibiam effregit et abhinc militiæ ita tædere cœpit, ut non solum litterarum studio, sed et pietatis operibus se dare cuperet. Huic avunculus erat Jacobus Colpinus, in ecclesia Sogniacensi canonicus qui, Societatis Jesu ineundæ causa, Virdunum se receperat, sed Nicolai

---

1. Abram., *Hist. Univ. Mussip.*, fol. 131.
2. Sane, Pater H. Stelz. (*Bibl. lorr.*)
3. Abram., op. cit., fol. 131 et sq.
4. Hoc nomen aliter ab aliis scriptoribus scriptum, nempe Lesruelz, Lairuel, Layruelz, Lairuelz, Lairuels, etc., nos ex coætaneis atque ex ipsius Servatii libris, Lairuels scribemus.
Licet quidam nobilitatem Servatio neget, cum ipse sanctus reformator in suo Catechismo stemmata usurpaverit, et P. Abram hæc verba exaraverit : « Patrem habuit Servatium virum militarem a Cæsare Carolo V ob præclara belli facinora nobilitatem adeptum », nobis non est cur hunc titulum illi denegemus.
5. Hodie *Soignies*, in districtu gallico *Hainaut* vocato.

Psalmæi de sua abbatiali domo Sancti-Pauli renovanda meditantis monitu, Norbertinum institutum in hoc Paulino monasterio amplexus fuerat, paucisque mensibus post editam professionem, cœnobii gubernaculis sub prioris nomine susceptis, aliquam reformationis speciem induxerat.

Ad quem Annibal et consobrinus ejus, Christophorus Ægidius, accedentes, candidis Ordinis Præmonstratensis vestibus induti et postea, ad religiosam professionem accepti, Mussipontum, studiorum causa, anno 1580, fuerunt missi. Sub P. Joanne Bordesio poesim, sub P. Frontone Ducæo rhetoricam, sub P. Balthazare Chavassio philosophiam audiit Annibal qui, die professionis, sanctum Servatium patronum elegerat, ac quatuor et amplius annos in Academia, partim in Desiderii *de La Cour* Petrique Forerii conturbernio, partim in Jesuitarum convictu, magna cum ingenii pietatisque laude, versatus est. Decurso litterarum philosophiæque stadio libatisque jam theologiæ principiis, cum collegium Mussipontanum pestilentia distractum fuisset, Lutetiam profectus, in arenam, ut ipse loquebatur, et ipse descendit, Dño Francisco Sorcio, Sancti-Pauli vicario, quem ipse Mæcenatem suum appellabat, post avunculi decessum, impensas ad prosequenda studia liberaliter suggerente.

Cum adhuc Lutetiæ divinis scientiis navaret operam, a Francisco *Loiseleur*, vicario DD. Joannis *des Pruetz*, abbatis Præmonstrati, Galliarum monasteria perlustraturo, comes adscitus est et officii sui munere fungens, in multis cœnobiis regularem disciplinam tot tantisque vitiis labefactatam animadvertit ut de ea utcumque instauranda nulla spes superesse videretur. Subinde in intimam Francisci a Longo-Prato, totius Ordinis abbatis generalis, familiaritatem admissus, ex ejus ore facundissimo, quemadmodum ipse loquebatur, sitibundo et avido gutture per

aliquot annos pependit, et vicariam sub ipso potestatem in totum Ordinem exercuit. At postea renuntiatus Theologiæ doctor Virdunumque reversus ad suos, seu operis iniquitate a proposito deterritus, seu quorumdam exhortationibus avocatus, seu, ut plerumque fit, ceterorum mollitia paulatim et ipse captus, reformationis consilio prorsus abjecto, statuisse visus est vitæ suæ cursum ex tempestate moderari, desertam illam antiquæ perfectionis viam quasi frondibus et virgultis interclusam relinquere, inertiam et præsentis vitæ suavitatem sectari, nec omnia voluptatibus denegare ; at nimirum, semper animo subierat relicti operis conscientia quæ eum stimulis suis in pristinam vitam interdum revocabat.

Cunctantem vero ac repugnantem gravis morbus eum ad extremum fere spiritum detraxit ; desperatus a medicis, Servatius Deo spopondit, si ad sanitatem rediret, se totis viribus ad reformationem allaboraturum ; paulo post, præter spem et exspectationem omnium, e morbo recreatus, sine mora, promissa solvere cœpit.

Præcipuam dedit operam reducendis ad salutem convictoribus suis et collegis Paulinis quos cum obfirmatiores videret quam ut ad veteris disciplinæ normam suos sensus inflecterent, dubitare occepit an inter hujusmodi sodales posset animæ suæ salutem agere ; jamque statuerat, deserto Præmonstratensium Ordine, vel ad Benedictinorum vixdum a Sancto-Vitone ortam congregationem, vel ad Capucinos, vel ad Carthusianos evolare. Cum vero quos anteferret discernere non potuisset, P. Anselmum Andream, S. J., virum apostolico studio flagrantem, adiit eique animi fluctuationem aperuit. Sed ille qui Danielem Picard in reducendis ad meliorem frugem religiosis suis Nemorensibus plurimum adjuverat et de lugendo Norbertinorum statu haud semel doluerat, eum sicut antea Desiderium *de La Cour,* alii ejusdem So-

cietatis Patres[1], ad perseverandum in suo Ordine et ad suscipiendum in eo reformationis laborem vehementer impulit.

His exhortationibus confirmatus, Servatius eo magis ad Ordinis sui renovationem omnes animi nervos intendit quo probabilioribus conjecturis certam hanc sibi vocationem divina Providentia obtigisse duceret; rei quam aggrediebatur gravitatem justis momentis examinavit; necessariam animi magnitudinem lucemque divinam assiduis precationibus jejuniisque poposcit; sagaciter omnes indagavit vias quibus Ordini suo antiquum nitorem restitueret, eorumque præcipue virorum sibi conciliavit gratiam qui et dignitate eminerent et auctoritate designatum animo reformationis negotium promovere possent, hos litteris, illos officiosis alloquiis, omnes comitate morumque commoditate sibi devinxit. Mox, visitator in circaria Lotharinga renuntiatus, a Daniele Picard coadjutor cooptatus fuit et brevi successor ejus evasit, anno 1599.

Vix in abbatialem dignitatem promotus, suum repetendæ restitutionis studium sine ambagibus declaravit. « De me, inquit, quod quisque voluerit existimet; ego quidem, ita me Deus ac Superi adjuvent, omnem animi contentionem adhibebo, ut per Danielem cœpta porro eat reformatio neque nisi perfecta re de disciplinæ veteris instauratione quiescam. Sinite igitur ut et supremæ decessoris mei voluntati et meo ipsius desiderio satisfaciam aut, si vobis

1. Haudiquer, *Vie de Didier de La Cour*, p. 80. — Post Concilium Tridentinum, ad propagandam in omnia Ecclesiæ membra restaurationem, ea fuisse videtur sapientissima agendi ratio, tum Romanorum Pontificum, tum Patrum Soc. Jesu ceterorumque sacerdotum zelo Dei flagrantium ut religiosos aut sacerdotes qui de severiori vita amplectenda meditarentur, ab Ordine suo aut clero seculari deserendo deterrerent et ad reformationem in eo inducendam vel roborandam incitarent. Sic Patres S. J., Desiderium *de La Cour* et Servatium *de Lairuels*; sic Clemens VIII P. M., Philippum *Thiébaut*, ut in Carmelitarum congregatione mitigata perseveraret (P. Sernin-Marie de Saint-André, *Vie du P. Jean de Saint-Sanson*, p. 72); sic Joannem *Olier*, sanctus Franciscus-Salesius. (*Vie de M. Olier*, a D. Faillon, I, p. 43), etc.

secus videtur, jam nunc pastorale, quod teneo, pedum et me ipsum vivum ac spirantem terræ infodite. »

Eo igitur sibi impensius virtutum omnium exercitiis religiosæque perfectioni vacandum esse ratus quo se in sublimiori gradu constitutum videret, ad omnia ipse quæ a suis desiderabat, nusquam sibi parcens, manum admovit; quotidie etiam a quodam ministratorii muneris religioso bene mane expergefaciendus audire voluit: « Væ tibi, Pater, si præes et non prodes. » Sero autem ab eodem monitore illud sibi in mentem revocari: « Monstrosa res, gradus summus et animus infimus, sedes prima et vita ima, lingua magniloqua et manus otiosa », atque his aliisque modis sese ipse exstimulabat, ut ad observationem regularum et constitutionum primus esset et antesignanus.

Anno sequenti 1600, cum ipso P. Generali, Sueviam, Franconiam, Bavariam, Austriam, Silesiam, Moraviam, aliasque Germaniæ provincias lustravit et in Ordinis sui monasteria reformationem, sed non adeo strictiorem, vel induxit, vel ab aliis magni nominis abbatibus inductam approbavit; interim suorum haud immemor, P. Anselmum Andream aliosque patres Societatis Jesu misit ut disciplinæ restaurationem in Mariano cœnobio præpararent ac promoverent.

Reversus in Lotharingiæ circariam, ad asceteria vicina Salivallense ac Stagnense cum abbatum venia religiosos e suis, ad Rengisvallense consobrinum suum delegavit qui canonicos horum cœnobiorum diligentiorem regulæ custodiam erudirent. « Ejusdem praxis jugum, ut ipse conceptis verbis scribebat, anno 1603, se subituros promisere in manibus Reverendissimi Patris Generalis reliqui circariæ Lotharingiæ abbates, in cujus promissionis ac desiderii fidem hujus, ex unoquoque monasterio unum ad me (inquit Servatius) duxerunt quem reformationis negotium et æternæ damnationis periculum cui se objiciunt

religiosi deformati, apprehendere docerem; qua in re, non segnem navavi operam, singulorum regulæ D. Augustini mandatorum pondus et obligationem aperiens, adeo ut nihil jam aliud illi R. abbates præstolentur quam vilem et abjectam præsentiam meam, quam, opitulante Deo, hac imminente hieme, pro officii mei ratione exhibebo. »

Revera omnia circariæ monasteria primo quoque tempore lustravit, ad virtutem eos incendit et primo ad benigniorem quamdam regulæ restitutionem adduxit, mox etiam eos ad strictiorem ac severiorem priscæ disciplinæ numeris omnibus absolutæ reformationem adducturus. Quæ omnia ut adjumento doctrinæ juniorumque sedula institutione altiores agerent radices, voluit ut Marianum suum cœnobium, Mussiponti, in hoc celeberrimo pietatis ac litterarum emporio, haberet seminarium [1], in quo non solum religiosos suos sed etiam ceteros Ordinis professos, annuam pensionem persolventes, ita foveret, ut non minus in disciplina monastica quam in litteris proficerent : quod vero seminarium, in antiqua Sancti-Nicasii hospitali domo [2] instituit anno 1603. Ut reformationis inceptæ utilitas et manaret latius et in cetera ordinis asceteria redundaret, lucubrationes quas confratribus suis Nemorensibus prælegerat, Opticæ regularium [3] nomine, Patris Generalis jussu prelo submisit; in quibus elaborandis, quam animi habuerit inductionem, his verbis in Præfatione sua testatur : « Et certe testis est mihi Deus quia non mentior : nihil aliud mihi ob oculos positum fuisse, dum calamum arriperem, præter unam Dei gloriam et sanctæ disciplinæ non parum collapsæ restaurationem. »

---

1. *Mém. sur Brieulles*, fol. 31. — *Optica regul.*, p. 389.
2. Hospitale Sancti-Nicasii, postea a Minimis emptum, in via situm erat cui hodie nomen est : *rue de la Poterne*. (*Cf.* Dom Calmet, *Notice de Lorraine*, art. *Pont-à-Mousson* et *Sainte-Marie-aux-Bois*.)
3. *Optica regularium, seu commentarii in Regulam S. P. Augustini, Hipponensis episcopi*. Mussiponti, apud Melchiorem Bernardum, 1603. In-4°.

Monasterii vero sui, jamdiu vetustate satisfacientis, e silvis quibus latebat prædonibus et ignorantiæ obnoxium, in urbem Mussipontanam transferendi consilium iniit[1]: quod, anno 1607, benigne probarunt, tum abbas Præmonstrati, Franciscus a Longo-Prato et Summus Pontifex, tum etiam Carolus III, dux Lotharingiæ, Anna *d'Escars,* episcopus Metensis, et Joannes *de Maillane,* episcopus Tullensis, addita tamen hac clausula ut si præfatum cœnobium e diœceseos Tullensis finibus ad alteram urbis Mussipontanæ partem quæ episcopis Metensibus subjecta erat, transportaretur, sub jurisdictione tamen episcoporum Tullensium remaneret.

Haud segnius operi manum admovit et e fundamentis vastum Universitatique contiguum erexit cœnobium, illudque annuentibus P. Bouvet, tunc Universitatis rectore, et magistratibus Mussipontanis, collegio Jesuitarum connexuit porticu plus quam millibus passibus porrecta[2], qua ad audiendas magistrorum prælectiones sine pluviarum injuria pergerent discipuli. Novum cœnobium anno 1612 fuit inauguratum et, relicto tantum uno in veteri Nemorensi monasterio sacerdote qui cum fratribus conversis aliquot bona curaret et quotidianum Missæ sacrificium offerret[3], totam communitatem Mussipontum transtulit.

Dum construendis ædibus impense incumberet Servatius, Franciscus a Longo-Prato, de hoc reformationis consilio certior factus, die 19ª maii anni 1611, litteras misit quibus summis laudibus laudaret inceptum et sponte sua Servatium sociosque ejus vehementer hortaretur ut sancti Norberti vestigiis summo studio insisterent et ideo ad illam abstinentiam a carnibus perpetuam strictumque illud

---

1. *Arch. dép.,* H. 1130. — *Mém. sur Brieulles,* ibid.
2. *Arch. dép.,* H. 2119.
3. Ibid., H. 1130.

jejunium ab Exaltatione Sanctæ Crucis usque ad Pascha strenui redirent[1].

Servatius ergo omnium votorum compos factus, alacri animo, strictas constitutiones e primæva institutione depromptas exaravit et suscripsit ipse, anno 1613, una cum P. Petro *Thienville*, Mariano canonico, et P. Petro *Desbans* qui e suo Bellevallensi monasterio Mussipontum ad amplectendam reformationem accurrerat, aliisque non paucis Mariani monasterii religiosis[2].

Ad stabiliendum novum institutum, Patres Sanctæ-Mariæ-Mussipontanæ veriti ne deinceps abbas quidam, in reformationem haud ita animatus, eos fame et inopia ad laxiorem vitam reduceret, aliquam, auctore Servatio, inierunt mensarum separationem quam Paulus V, mense Junio 1613, confirmavit[3].

Sed validius etiam fulciretur Mariana reformatio brevi necesse fuit, quippe cum, ut in rebus alicujus momenti, aliter alii de Servatii consilio sensissent.

Optimi, totis manibus applauserant: quidam illico, ut P. Morizet, Flabomontanus canonicus, ab abbate suo veniam petentes, Servatium adierant[4]. Renascentem illum sancti Norberti spiritum, suis ut instillaret alumnis, Tristandus a Longavilla, abbas Bucilii, in diœcesi Laudunensi[5], tres Mussipontum transmiserat canonicos qui sub hoc magistro ac reformatore, vivendi discerent artem et religionis caperent documenta[6].

Alii, miserum Ordinis statum ex imo corde lugentes, laudabant quidem renovationem hanc sed, aut ejus incu-

---

1. *Mém. sur Brieulles*, fol. 32. — *Vindic. Comm. Norb.* cap. V.
2. *Ramusc. excerpt.*, p. 21.
3. *Arch. dép.*, H. 1130.
4. *Mém. sur Brieulles*, fol. 33.
5. Gallice *Bucilly*, haud longe a Lauduno (*Laon*).
6. Hugo, *Ann.*, I, 425.

sabant modum, formam ac consilium, aut saltem de eventu dubitabant[1].

Sed mali, ab omni instaurationis atque austeritatis specie abhorrentes, Servatio, ut solet, ambitionis notam inurere tentarunt ejusque improbarunt inceptum ut quid novum, Ordinis prosperitati exitiosum, oppositum unitati Norbertinoque spiritui contrarium ac totis viribus ad id impugnandum se paraverunt atque invicem excitarunt[2].

Quibus commotus, Petrus Gosset qui Franciscum a Longo-Prato in Præmonstrati abbatia exceperat, exactissime Servatii excussit propositum atque, ut de omnibus certior fieret, Mussipontum, anno 1616, se contulit. Per aliquot hebdomades, diligentissime inquisivit, tum de statutorum singulis articulis, tum de genere vivendi ac temporis distributione, tum de constitutionum strictissima observatione, et ibi demum tam perfectum vitæ regularis exercitium comperit ut ea quæ vidisset ipse, majora esse opinione, et perseverantiam potius in inceptis optandam esse quam in omissis requirendam diligentiam, aperte declaraverit. Eos igitur, ut in sancto suo proposito permanerent invicti exhortatus, adversus detractores et impugnatores, litteris authenticis munivit, die 4ª junii 1616, quæ in archivis monasterii Sanctæ-Mariæ-Majoris sedulo asservabantur. Paulo V insuper reformationem approbavit; causa Sacræ Congregationi Regularium de more delata et Carolo a Lotharingia, S. R. E. Cardinali et episcopo Virdunensi, ad disquisitionem delegato, Summus Pontifex, bulla Romæ data, die 18ª julii 1617, instaurationem initam auctoritate apostolica roboravit[3].

1. *Vind. Comm. Norb.* Iª P., c. VII.
2, *Vindic.* Iª P., c. V. et sq.
3. *Mém. sur Brieulles,* fol. 33. — *Vind. Comm. Norb.* Iª P., c. V.

In quibus litteris, Paulus V articulos a P. Gosset approbatos confirmavit quos conceptis verbis sic retulit[1] : « Abstinentia perpetua a carnibus et jejunium a die festo Ex. S. C. usque ad festivitatem Paschatis ; silentium regulare; laneorum usus cum sola culcitra straminea; dormitio in dormitorio ; comestio in refectorio ; lectio perpetua in mensa; quotidianarum horarum canonicarum et B. Virginis pensum; Matutinarum officium media nocte; habitus totaliter candidus... ; proclamatio culparum in capitulo quotidiana; correctio earumdem in eodem loco imponenda a præside ejusdem capituli... ; Novitiatus secundus ; confessio hebdomadaria ; accessus sacerdotum ad altare pene quotidianus et non sacerdotum ad sacram synaxim, hebdomadarius... ; serotinum examen conscientiæ ; meditatio quotidiana ; recollectio annua cum confessione generali totius anni et renovatio annua professionis, addita clausula de non acceptanda et procuranda dispensatione super prædictis præterquam a Sede Apostolica, et de eligendis abbate ac priore optimis, quando opus erit, necnon de beneficio vel dignitate, aut Prælatura seu prioris officio, directe vel indirecte non procurandis. »

Reformata insuper monasteria in unam Congregationem coadunavit Summus Pontifex, cui caput præfecit monasterium Mussipontanum et ab eo nomen imposuit Sanctæ-Mariæ-Majoris. Sodalitas illa, auctoritate apostolica a cujuscumque circatoris visitatorisve jurisdictione exempta, regeretur ad instar totius Ordinis ab annuis suis Capitulis ad quæ convenirent bini ad minus e singulis monasteriis deputandi et a vicario generali quoque triennio in congregationis Capitulo eligendo abbatique Præmonstrati, ut membrum capiti, subjecto. Abbas tamen Præmonstrati nihil innovare in hac sodalitate posset nec

2. Cf. Pagium, *Bibl. Ord. Præm.* Lib. III, p. 749.

visitare domos, nisi adjuncto sibi vicario generali aut alio a Congregatione deputato.

Congregatio unum aut plures novitiatus communes in monasteriis a Capitulo designandis institueret ejusque religiosi non, ut antea, uni cœnobio astricti essent, sed ab uno in aliud monasterium, Capituli aut vicarii generalis decreto, transferri possent[1].

Reformatione sua tantis auctoritatibus roborata et tam firmis constitutionibus munita, vim adversantium impavido animo exspectare poterat Servatius, et sibi etiam consociare alia circariæ Lotharingiæ monasteria. Congregatio enim brevi crevit et, velut arbor valida, quo vehementioribus procellis fuit impetita, eo profundiores egit radices. Servatii aliorumque reformatorum conatibus tum accesserunt commendatariorum plerique qui in Patrum Societatis Jesu aut Oratorianorum collegiis seminariisve a Vincentio a Paulo, Joanne *Olier*, Adriano *Bourdoise*, etc., brevi per omnes Galliarum diœceses institutis educati fuerant, zelo Ecclesiæ restituendæ flagrabant et in hoc tam arduo opere et suscipiendo et perficiendo non tantis, quantis abbates ipsi regulares, impediebantur difficultatibus.

---

1. Novitiatus communis, circariæ saltem Lotharingiæ, liberalitate Gerardi *Laurent*, Remensis, et Nicolai *Hawy*, Mussipontani, sacerdotis et insignis Ordinis benefactoris, in monasterio Sanctæ-Mariæ Majoris, die 25ª sept. 1636, fuit institutus ; quod cœnobium igitur vere fuit caput et centrum totius sodalitatis, nam in eo tirones et virtutibus religiosis et scientiis tum profanis, tum divinis informabantur. Attamen, in actis posterioribus Capitulorum Congregationis, vidimus unum aut etiam duos alios novitiatus existere, ab uno ad aliud monasterium mutabiles. (*Collect. capitul.* passim. — *Arch. dép.*, H. 1200 à 1223, passim.)

CAPUT QUARTUM.

REFORMATIO LICET SÆPIUS AB ADVERSARIIS IMPETITA IN OMNIA LOTHARINGIÆ CIRCARIÆ MONASTERIA PERMANAT ET EXTRA CICARIÆ FINES DIFFUNDITUR.

Cœnobium Salinæ-Vallis verbis et exemplis ultimorum abbatum maxime paratum erat ad strictiorem observantiam suscipiendam. Joannes igitur *de Gombervaux,* tunc temporis abbas, licet ipse sibi mitigatam retinuisset regulæ praxim, et a quodam Normanno, ut ait, in suo proposito nonnihil detentus fuisset [1], primis statim renovationis inceptæ diebus, Servatii discipulis Mussiponto accitis, Reformationem in suum induxit asceterium et semper, pro viribus, Congregationem adversus impugnatores invicta constantia defendit.

In Justo-Monte, Nicolaus Hermant, ætate gravis, instante Servatio, tunc circatore, prælaturam anno 1609 resignaverat Claudio Gilbrin, canonico Sanctæ-Mariæ-Nemorensis atque ipsius reformatoris discipulo. Novus abbas disciplinam quam suxerat, suo inseruit monasterio, moribusque austeritatem spirans, visitator provinciæ anno 1620 a P. Gosset fuit renuntiatus; quo quidem anno et se et suos solemni sacramento Congregationi Sanctæ-Mariæ-Majoris vovit; Servatiusque eodem anno 1620, suæ prioris domus non oblitus, et Caroli a Lotharingia, Virdunensis episcopi, auctoritate adjutus, Franciscum *de Sorcy,* regularem abbatem, necnon Philippum *de Pellevé,* commenda-

1. *Liber variarum litterarum,* fol. 2 et sq.

tarium abbatem[1] persuasit ut monasterium suum nascenti Congregationi sociarent[2].

Eo etiam anno, Petrus Gosset, sui officii munere fungens, novam Mussiponti visitationem fecit et fructuum ubertate majorumque spe delectatus, Reformatos in Sancta-Maria-Majore congregavit ut primum Societatis capitulum præsideret. In hac ergo concione, Congregationis statuta quibusdam articulis regimini ejus et felicitati necessariis suffulsit, omnesque solemniter in manibus ejus professionem renovaverunt tribusque religiosis votis hoc juramentum addidere, se nunquam ullum beneficium ullamve dignitatem nec dispensationem in articulis Reformationis collaturos, nec nisi digniori suffragia sua in eligendis præsulibus daturos[3].

Celebrato hoc primo Capitulo, P. Gosset, Servatius *de Lairuels* aliique Congregationis patres novas litteras ad Summum Pontificem Gregorium XV miserunt quibus omnium Reformationis statutorum alteram confirmationem obtinerent, suumque inceptum adversus futuras persecutiones validius stabilirent.

Bulla Romæ data, die 17ª aprilis 1621, Gregorius omnes tum veteres a Paulo approbatos, tum recentiores articulos, ratos habuit, voluitque ut Congregatio illa quam antecessor sub nomine Sanctæ-Mariæ-Majoris erexerat, ex stricta constitutionum Ordinis priorum observatione, Antiqui-Rigoris deinceps nuncuparetur[4].

Ut sodalitas illa, suo patrocinio fundata, in dies cresceret et multiplicaretur, P. Gosset, ex suprema sua in toto

1. Paulinum monasterium tunc duos abbates habebat : Philippum *de Pellevé*, successorem Nicolai IV *de Pellevé* in ejus commenda et Franciscum *de Sorcy*, domus priorem, a fratribus in abbatialem dignitatem electum. (Hugo, *Ann.*, II, 524. — *Gallia christ.*, XIII.

2. *Mém. sur Brieulles*, fol. 33.

3. Ibid. — *Vindic.* P. I, c. V.

4. *Mém. sur Brieulles*, fol 34. — *Vindic.* P. I, c. V.

Ordine Præmonstratensi auctoritate, omnibus, cujusvis circariæ aut conventus existerent, sancti Norberti discipulis ut in strictiorem illam observantiam, si vellent, transirent, Congregationique, tot cœnobia quot ad adipiscendam reformationem Deo placeret movere, sibi aggregaret, amplissimam fecit licentiam[1]; dieque 2ª Januarii, anno 1621, Ludovicus, Francorum rex, postulationibus Domini *de Rebetz*, coadjutoris fiduciarii Sancti-Pauli-Virdunensis, permisit ut Reformatio in quælibet Ordinis monasteria ditioni suæ subjecta introduceretur[2].

Haud mora, eodem anno 1621, Franciscus Cauchon, commendatarius abbas Longivadi[3], in diœcesi Remensi, strictam antiquæ Regulæ observationem in suum reduxit monasterium et Carolus a Lotharingia, episcopus ille Virdunensis qui Servatium ad Paulinum asceterium instaurandum adjuverat, totis viribus incubuit ut in Miram-Vallem quam in commenda possidebat, per Nicolaum *Hemery*, priorem claustralem ac per ipsum abbatem Sanctæ-Mariæ-Majoris Reformatio introduceretur, cujus opus Nicolaus-Franciscus a Lotharingia, in abbatia successor, auxit ac stabilivit[4].

Eodem fere vestigio Servatius, potestate sua vicarii generalis utens atque abbatis Præmonstrati benevolentia fretus, e Mira-Valle, Bellam-Vallem adiit, vocante Francisco *de Joyeuse*, abbate commendatario, idque monasterium Congregationi aggregavit, die 4ª Januarii 1622[5].

Sed dum Sodalitas etiam extra circariæ fines dilatabatur fovebaturque ab ecclesiasticis præsulibus secularibusque principibus, grave vulnus a proprio alumno, imo a defen-

---

1. *Mém. sur Briculles*, fol. 34.
2. *Vindic.* P. I., c. V.
3. Gall. *Longué*, diœc. Remensis, circariæ Floreffiæ. (Hugo, *Ann.*, II.)
4. Hugo, *Ann.*, II, 309.
5. Hugo, *Ann.*, I, 263.

sore quondam strenuo, inopinato accepit. Anno enim vix elapso post introductam in Justum-Montem reformationem, Claudius Gilbrin, sive incepti sui tædio affectus, sive, ut verisimilius videtur, Servatio invidens, ad laxiorem vitam reversus est suaque defectione discipulos promovit ad sacramentorum violationem, atque infensus ideo Congregationi, quibus potuit armis eam lacessivit. In Capitulo generali totius Ordinis anno 1625 habito, vehementioribus conviciis invectus est declaravitque eam esse lugendam novitatem, bullis anterioribus Summorum Pontificum oppositam, præcipue bullæ Julii II; diplomata insuper quæ in confirmationem Reformationis afferebant, esse subreptitia... etc., etc., et demum novitatem illam omnino esse delendam [1].

Quas insectationes, licet avidis auribus audierint, cum numero pauciores ad hoc Capitulum convenissent, veriti ne inconsiderantiæ aut iracundiæ arguerentur, bullarum recognitionem ac diplomatum quibus Congregatio nitebatur, ad generale Capitulum proximum distulerunt, quod Præmonstrati celebratum est anno 1627 [2].

At interea, Servatii discipuli, fidem in Deo, incepti sui auctore, reponentes, majore etiam in regula sectanda fervore, animos prælio paraverunt. Novis insuper multisque præsidiis in hoc rerum discrimine suffulti fuere, nam, anno 1626, Stagnum, diligentia Francisci a Lotharingia, Hattonis-Castri marchionis, in cujus districtu erat [3]; Rengis-Vallis, opere abbatis Francisci Brunnesseaux [4], Claudio Gilbrin infensi, et, anno sequenti, Stivagium, jam a multis annis strictæ observationi præparatum, ad Congregationem adjuncta sunt.

---

1. *Mém. sur Brieulles,* fol. 34.
2. *Collect. capitul. Ord. Præmonst.,* capit. 1625.
3. Hugo, *Ann.,* II, 843. — *Mém. sur Brieulles,* fol. 34.
4. Hugo, ibid., 645. — *Mém. sur Brieulles,* ibid.

Stivagii vero, ut in aliis cœnobiis, reluctabant canonici non pauci, vitæ molliori inservientes; obsistebat quidem præ ceteris Claudius Maillet, prior, ac Claudius *de Vaubécourt* et a suscipiendo austerioris disciplinæ jugo ceteros variis artibus dimovebant; sed Joannes Frouart, ab ipso Servatio Mussiponti formatus Desideriique propinqui, antecessoris sui vestigiis inhærens, atque auxilio adjutus Francisci a Lotharingia, unicuique, vel rigidius hoc vitæ genus sectandi, vel in priori statu permanendi, libertatem asseruit; omnes fere disciplinæ asperiori nomen dederunt et Joannes reluctantibus canonicis annuam pecuniam ad vivendum et decentem domum a communitate sepositam ad habitandum attribuit atque, ut Servatius Mussiponti, ne forte alius abbas, reformationi minus favens, religiosos in suo incepto deturbaret, mensarum induxit divisionem. Denique, ad religiosos suos informandos, Mussiponto coloniam arcessivit quam Lairuels ipse secum deductam inseruit Stivagii[1].

Eodem modo in ceteris circariæ domibus res fuerunt novatæ, assignata scilicet veteranis reformationem abnegantibus congrua pensione, bonis ac reditibus inter abbatem et religiosos separatis, fratribusque ex alio monasterio in instaurandum cœnobium introductis.

Mensæ vero haud semper sine litibus partiebantur. Stagni enim, Joannes *La Trompette,* abbas, qui, canonicis suis injuncta reformatione, strictiorem observantiam ipse non secutus erat, se mensarum distractione maxime læsum esse ratus, rem ad Capitulum generale retulit. Christianus *de Gournay,* episcopus Tullensis, et Joannes Midot, de quo mox plura dicemus, delegati ad litem componendam, parum profecerunt; Joannes *La Trompette* ad Senatum supremum, in Sanmichæliana urbe sedentem, cano-

1. Hugo, *Ann.*, II, 912.

nicos provocavit, sed, repulsa accepta, licet injuriam suam moleste ferens, novam actionem non intendit [1].

Dum Reformati in dies invalescebant, illorum hostes, ad Congregationem violenter impugnandam funditusque evertendam maximis studiis se præparabant et minis, sponsionibus, mendaciisve sibi contra ipsam fere omnes ceterarum circariarum abbates conciliarunt. Concio, ut inducta fuerat, Præmonstratum convocata fuit anno 1627 : Servatium, ambitionis accusatum, capitulantes, auctore Claudio Gilbrin, omnibus Ordinis honoribus exuerunt indignumque in posterum pronuntiaverunt. Tantæne animis religiosis iræ! Bullas insuper a Reformatis allatas, ut subreptitias, de more rejecerunt; imo, quas in præjudicium Ordinis vergere somniabant, Romano tribunali exhibendas esse censuerunt, Romamque igitur in jus vocarunt Servatium ut diplomata sua probaret authentica ac temeritatis suæ, ut pro rato habebant, condignam damnationem ac pœnam referret [2].

Ad sustinendam vero hanc litem, constituerunt Ordinis in Romana Curia procuratorem ac syndicum, Joannem David, Ninovensem abbatem, virum quidem magni animi, acris ingenii, regulæ vindicem atque exemplar, sed calumniis præoccupatum.

Servatius autem Petrum Thienville, Salinæ-Vallis priorem, ac Claudium Morizet, curaturos cœptam actionem Romam ablegavit, seduloque curavit ut per Ludovici XIII matrem ad legatum regis, Dominum *de Béthune*, et per Cardinalem *de Bérulle*, ad Cardinalem Bandinum, Ordinis Præmonstratensis protectorem [3], aliosque

1. Dumont, *Hist. de Létanche*, p. 64 et sq.

2. *Mém. sur Brieulles*, fol. 35. — *Vindic.* P. I, c. V.

3. Singulis Ordinibus, a Sancta Sede approbatis, Summus Pontifex cardinalem protectorem concedit qui eorum rebus consulat.

Romanæ Curiæ principes, aditum commendationis haberent [1].

Procurator Capituli, mox ut in Urbem pervenit Reformatos ad Sacræ Rotæ [2] Auditorium citari curavit. Amatus Dunozettus, Summi Pontificis capellanus, doctor in utroque jure, auditor causarum Sacri Tribunalis Rotæ, ad hanc litem dirimendam designatus, auditis singulis partibus, nihil esse, neque obreptitium, neque subreptitium in toto Reformationis negotio, triplici decisione, 10 aprilis, 21 junii et 11 decembri ejusdem anni 1628 declaravit ac, juxta triplicem illam decisionem, sententiam solemnem, die 9ª februarii 1629, dedit qua Servatiani in litterarum apostolicarum plenario effectu retinebantur [3].

Fervescentibus his contentionibus, cum Ninovensis abbas, non modo nihil proficeret, sed contrariis judiciis pronuntiatis afflictam causam videret, alias molestias in eos quos jure non potuerat superare, meditatus est. Cum a P. Generali, ut Ordinis in Curia Romana syndicus, in omnes Præmonstratenses in Urbe degentes potestatem accepisset, Petrumque Thienville ac Claudium Morizet, loco pallii soliti, cappa oblonga candida statutis antiquis Ordinis et Congregationis convenienti indutos, per Urbem incedere advertisset, venit illi in mentem hujus vestis usum, sub excommunicationis pœna, a se prohiberi posse.

P. Thienville, virorum proborum atque eruditorum consiliis, monitorii hujus futilitatem neglexit et idcirco eum, quasi nefarii sceleris reum, Ninovensis abbas, adhibitis cæremoniis, candelis scilicet cereis accensis in ter-

---

1. *Litt. Patris Baguet ad Servatium de Lairuels* e Parisiis, 12 et 19 febr. 1628. (*Liber variarum litterarum,* etc., fol. 184 et sq.)

2. Rota, duodecim auditoribus constans, de omnibus clericorum causis et de rebus beneficialibus aut patrimonialibus cognoscit. Lites non dirimit una eademque sententia, sed tot decisiones profert quot sunt controversiæ, priusquam sententia solemni rem totam componat.

3. *Mém. sur Brieulles,* ibid.

ramque projectis atque extinguendis, solemniter excommunicavit [1]

Sed interea, in Gallia, majori etiam rabie in Congregationem sæviebatur.

Joannes a Cruce, prior monasterii Ardenæ [2], ad antiquum rigorem sequendum se ac suos, jam ab anno 1627, obstrinxerat, a Summoque Pontifice litteras in forma brevis, die 20ª maii 1628, acceperat et insuper mandatum Cardinalibus *de La Rochefoucault* et *de Bérulle* ut omnia quæ sibi viderentur ad Ardenenses canonicos in amplectenda Reformatione juvandos cum plena potestate facerent. Virdunum igitur adiit ipse ac definitores Congregationis rogavit ut domum suam ceteris cœnobiis cooptarent [3].

Cum Ludovicus XIII, novo iterum diplomate, die 14ª januarii 1629, non probavisset tantum Ardenenses Reformationi nomen daturos, sed ceteris etiam omnibus sui regni monasteriis hujus aggregationis absolutissimam concessisset licentiam, Ardenensium exemplum brevi secuta sunt duo alia hujus regionis monasteria, Bella-Stella ac Silleium [4]. In Normanniam igitur sese contulerunt Petrus Desbans, prior Sancti-Pauli Congregationisque præses, ac Simon Raguet, supprior Bellevallensis et, quæ partes sui muneris erant, cœnobia quæ Sodalitati adsciverant, diligenti inquisitione visitarunt.

Sed, cum Ninovensis abbas, prima offensione minime fractus, alteram petitionem instaurasset, Rotaque duobus aliis decisionibus (30 martii ac 18 junii 1629) atque altera

1. *Vind.* P. I, c. IV. — P. II, c. VIII.

2. Gall. *Ardenne,* prope Cadomum (*Caen*) in diœcesi Bajocensi et circaria Normanniæ.

3. *Mém. sur Brieulles,* fol. 35. — *Vindic.* ibid.

4. Bella-Stella (*Belle-Étoile*), haud longe à Viria (*Vire*), diœceseos Bajocensis, circariæ Normanniæ (hodie, *Calvados*), Silleium (*Silly*), haud procul ab Argentomo (*Argentan*), diœcesos Sagiensis (*Séez*), circ. Normanniæ (hodie, *Orne*).

sententia solemni (12 januarii 1630) Congregationem ratam fecisset atque firmam, hostes, ira ac furore quasi obcæcati, ut Normannos nihilominus ad se reducerent et Ordinis instaurationi quam plurimas facerent moras, omni ope studuerunt. Priores vero Ardenensem ac Silliacensem, patres in Capitulo generali anni 1630 congregati, a Servatianis discedere jusserunt. Eos vero, cum litteris apostolicis rescriptoque regio ac recenti Rotæ sententia freti, se nunquam ab incepto defecturos contendissent, ut rebellionis convictos seditiosorumque fautores, officio suo inique spoliaverunt; alios ipsorum sequaces, ab ordinum suorum executione suspenderunt, hujus consilii duos strenuos defensores, inauditos atque indemnatos, vinculisque onustos, Lutetiam mitti et, apposito falso contumaciæ crimine, ad publicos carceres trahi jusserunt. Petrum vero Desbans ac Simonem Raguet, licet haud alius rei, nisi expleti muneris conscios, crimine doloso quod jurisdictionem indebitam in religiosos sibi non subditos exercuissent, omnibus honoribus ac præeminentiis in Ordine conferri solitis, sicut antea Servatium ipsum, solemniter exuit et ad quamcumque dignitatem declaravit inhabiles [1].

Hæc fuisse videtur ultima et irrita malevolorum hominum impugnatio adversus Sodalitatem tot tantisque demum præsidiis munitam.

At persecutiones, ut solent, bonos ad excipiendam aut fovendam reformationem maturarunt, nedum tardaverint. In ipsa Normanniæ circaria, Renatus Marescot, canonicus Parisiensis eleemosynariusque reginæ, Sancti-Joannis-de-Falesia [2] abbas commendatarius, Petro Desbans qui, non obstante iniqua Capituli sententia, in sua dignitate, aut

1. *Mém. sur Brieulles*, ibid. — Hugo, *Annales*, I. — *Vindic.* P. I, c. IV. — P. II, c. IX et XIII.

2. Gallice *Saint-Jean-de-Falaise*, juxta muros Falesiæ, diœc. Sagiensis, circ. Normanniæ (hodie, *Calvados*).

Regis mandato, aut Congregationis decisione, retentus fuerat, canonicos suos jam a Paulo *L'Hermite*[1], priore, ad Reformationem præparatos transmisit Sodalitatis legibus ac moribus imbuendos (1635).

Et, iisdem fere temporibus, Claudius Philippus *Leclerc du Tremblay,* primus Montis-Dei[2] fiduciarius abbas, suorum canonicorum votis annuens, Servatianis abbatiam uniri procuravit (1634).

In Lotharingia vero, eodem anno 1634, Franciscus Brunnesseaux, Flabomontanum cœnobium quod simul cum Rengis-Valle sibi oblatum, ex pontificis dispensatione, acceperat ne commendatariorum voracitati pateret, ad Congregationem adduxit, adjuvante ac promovente Philippo *de Landres,* coadjutore ac successore suo, qui mores ac spiritum Reformationis apud Servatium hauserat Mussiponti[3].

Eodem etiam anno, dum Nicolaus Voillot, abbas Janduriarum ex resignatione Alexandri *de Longeville,* avunculi sui, ac Nicolaus *de Comty de Grammont,* qui a rege Galliæ, Barri ducatu armis potiente, abbatis diploma surripuerat, de prælatura ac reditibus certabant, canonici ut contra helluones istos spem ac tutamen sibi conciliarent, sese Servatio dederunt[4].

Bonifagetum, anno 1635, Christophorus *de Mitry,* illius cœnobii canonicus atque abbas regularis, Henrici II et Caroli IV, Lotharingiæ ducum consultor, Antiqui-Rigoris Congregationi copulavit[5].

---

1. Paulus *L'Hermite,* cum hanc aggregationem summa ope parasset, hac ipsa causa, jussus fuit a Capitulo generali anni 1630 suam dignitatem abdicare, in manibus P. Marci Sarraceni, unius ex acerrimis Reformatorum impugnantibus. (*Vind.,* ibid.)

2. Mons-Dei, gall. *Mondey,* diœc. Lexoviensis, in Normannia. — Hugo, *Ann.,* II, 319.

3. Hugo, *Ann.,* I, 662.

4. Ibid., I, 858.

5. Ibid., I, 337.

Sodalitatem suam non solum propagabant Reformati, sed eam verbis etiam ac scriptis adversus contradictores tuebantur. Nicolaus Guinet, Nicolai, Jurium antecessoris in Universitate Mussipontana filius, fraterque illius Francisci qui in docendo atque evolvendo Jure non sibi mediocre nomen fecit, in scientia juris tam civilis quam canonici ita versatus ipse, ut Ludovicum XIV dicant, illo audito, exclamasse P. Nicolaum Guinet eum esse qui regnum regere posset, sexdecim ad minus commentarios latino vulgarive idiomate exaravit typisque mandavit, quibus Congregationem defenderet. Inter hos eminet *Ramusculus excerptus*[1], in quo probare sibi proposuerat nunquam in abbatiali sede Sanctæ-Mariæ-Majoris abbatum regularium defecisse successionem, ac proinde omni puncto legitimam esse Servatii dignitatem.

Servatius etiam *Apologiam* scripserat *pro quorumcumque Ordinum reformatoribus*[2] quæ, licet ab anno 1629 approbata typisque permissa, incertum est an fuerit impressa.

Petrus Desbans instituit prelisque Mussipontanis, anno

1. Cf. Indicem bibliographicum ad caput hujus libelli appositum.

2. *Apologia pro quorumcumque Ordinum religiosorum reformatione.* (Cf. *Bibl. lorr.*)

De hac Apologia, P. Raguet ad Servatium scripsit, die 14ª januarii 1628 :

« *Le R. P. Bauny a lu vostre Apologie qu'il a encore. Son jugement est que vostre Révérence ne monstre ce qu'elle pretend, scavoir que nous ne sommes divisez du Général, etc. la chose estant trop généralle, demeurante dans la thèse, et ne descendante assez à l'hypothèse. Dit qu'il ne fault avoir peur d'aigrir ceux de nostre Ordre, puisqu'ils le sont tout à faict, et qu'ils feront tout ce qu'ils pourront contre nous, comme il dit l'avoir appris d'un abbé, et partant qu'il ne failloit avoir appréhension de toucher la corde et de venir au poinct, veu qu'en ce faisant, on ne dit que ce qui est et que quant aux aultres choses que vostre Révérence y apporte en général des réformes, personne n'en doubte et que le nœud de la question est de faire voir à ceux qui sont abusez en nos affaires que nous ne faisons rien hors de raison.... Il est grandement marry que vostre Révérence a tant tardé de faire voir au jour le mérite de nostre cause, et vous exhorte de vous haster et de remuer le ciel et la terre pour vuider les difficultés de nos affaires, attendu qu'il ne voit personne qui le puisse que vostre Révérence et que si elle vient à mourir avant que d'en veoir une fin, tant s'en ira à vaux l'eaue.* » (*Liber variarum litterarum*, fol. 174.)

1630, mandavit *Statum Reformationis*[1] de quo P. Abram cum laude meminit.

Et interea, cum tribunalia pluribus de jure ac possessione Congregationis quæstionibus ferverent eventilandis machinæque omnes ad eam dejiciendam admoverentur, Servatius Joannem Midot, archidiaconum Tullensem, quo familiariter usus fuerat cum, studiorum causa, Mussiponti degeret, ad se, ut patronum advocavit. Is igitur ad amicum suum Elyardum se ipsum etiam de hac re rogantem *Vindicias Communitatis Norbertinæ Antiqui-Rigoris*, in duas partes divisas, scripsit typisque commisit (1632)[2].

In priori quidem parte, postquam ante omnia exposuerat Ordinum regularium qui malo infirmitatis humanæ prima disciplina excidissent, reformationem, Ecclesiæ quidem utilem et necessariam, non fore stabilem ac duraturam, affectata austeritatum mitigatione, nec fieri posse quin ejus auctores non exosi fierent, Joannes monstrabat deinde reformationem hanc in Ordinem Præmonstratensem legitime introductam, rectum sincerumque finem ante se ferre, neque ambitionis damnari posse; non esse privilegiis Ordinis contrariam; non lædere unitatem ac regulæ conformitatem; non post se trahere divisionem; non impedire propagationem Ordinis; nec posse, nec debere institutionis suæ diplomatibus renuntiare; denique Ordinum aliorum exempla secutam fuisse quibus Generalium vicarios ex eadem reformatione assumendos Sancta Sedes indulserat.

De Congregationis regimine, propagationis modo atque historia altera pars, haud ita stricta deductione disserebat, in qua videre est, oratorio licet modo narratas, varias aggre-

---

1. *Status strictioris Reformationis in Ordine Præmonstratensi.* Mussiponti, 1630. In-4°. (*Bibl. lorr.*)

2. Cf. Indicem bibliographicum.

gationis monasteriorum Normannorum vices patrumque Thienville, Desbans ac Raguet tribulationes.

Alterum etiam, aut eumdem fortasse sed sub alio titulo librum, anno 1632, Joannes Midot prelis commisit Mussipontanis, scilicet : *Commentarium causarum firmitati Communitatis Norbertinæ Antiqui-Rigoris adstipulantium*[1].

Quos amici sui commentarios non legit Servatius *de Lairuels*. Post triginta ad propagandam restaurationem indefessi laboris annos, victoriæ prægustata voluptate gavisus et prosperiora etiam ominans, bonus ille miles Christi, XV Kalendas Novembris 1631, obdormivit in Domino[2].

Haud immerito quidem speın bonam de incepto suo foverat, nam Sodalitas Antiqui-Rigoris, ab anno circiter 1630, ut legitima, a generalibus Capitulis tandem agnita, discipulorum ejus, Petri Thienville, Petri Desbans, Nicolai Guinet et aliorum diligentia, *civitatem,* ut ita dicam, post alios triginta annos adepta est.

Vix Servatius diem suum obierat, cum, moto inter Carolum IV ducem et Ludovicum XIII bello, tres illæ calamitates maximæ, arma scilicet, fames et pestilentia in Lotharingia dirissime sævierunt, ad summas rerum difficultates totam fere regionem adduxerunt, Flabomontanum atque alia cœnobia ferro flammisve et inopia vastarunt ac Stivagienses ad Hohemburgenses fugarunt recessus[3]; sed interea, Reformati copias suas multiplicarunt, nedum fuerint dispersi.

---

1. Mussiponti, 1633.

2. Servatius defunctus est in monasterio Nemorensi quo, peste Mussiponti grassante, cum suis successerat. Ejus corpus Mussipontum relatum in abbatiali templo inhumatum fuit. (Abr., op., cit, 137.) Hujus eximii viri J. Midot amplissimam scripsit laudationem quam Calmet inseruit in sua *Bibliotheca*.

Servatii *de Lairuels* et aliorum octo pictæ imagines, inter quos, Alexii Guillaume (abb. Muss. 1695-1710), Josephi Malcastel (abb. Muss. 1710-1717) et Nicolai Felix (abb. Muss. 1717-1754), in seminario Mussipontano servantur.

3. Hugo, *Ann.*, I, 662 ; II, 914.

Justimontani qui, auctore Claudio Gilbrin, a Congregatione defecerant, defuncto illo (1636), Claudium Moizet, in Romana Curia olim Petri Thienville socium, tunc Sodalitatis procuratorem, abbatem elegerunt et, eo duce, ad Servatianos rediere [1].

Anno 1638, Petrus *de Cadnet,* Castro Dunensi ad Mosam a rege Ludovico præpositus gubernator, Briolarumque toparcha, fundavit prioratum Briolensem prope Dunum [2]. Huic præfectus est P. Macarius Guinet, Sancti-Pauli-Virdunensis prior ac Francisci Guinet amitinus, qui hujus quem rexerat conventus diarium atque etiam obiter totius Reformationis brevem reliquit historiam, ex qua multa hausimus.

Attamen Congregatio, dum, reductis ad pristinum rigorem plerisque Lotharingiæ monasteriis, in omnibus fere regionis partibus domos haberet, in Nanceiensi oppido ad quod frequens erat canonicorum accessus, deversorio proprio carebat et ideo religiosi huc divertentes ad publicas tabernas migrare cogebantur. Pater igitur Desbans, abbas Mussipontanus et vicarii generalis vices gerens, sibi proposuit ut suos hospitali quodam in hac urbe donaret [3]. Assentientibus et pecuniam spondentibus ceteris circariæ abbatibus et Carolo IV haud abnuente, ædes quas ex desertione sua vacuas fecerant moniales a Sancta Magdalena nuncupatæ, vulgo *Madelonettes* [4], a Claudio Machon, Nanceiano cive et trapezita, pro quinquagentis supra sex millia francorum emit, die 29ª Martii 1635. Huic domui nomen Sancti-Josephi inditum est et duo aut tres duntaxat, in prioribus annis, assignati religiosi; postea

1. Hugo, ibid., I, 963. — *Mém. sur Brieulles,* fol. 35.
2. Gallice *Brieulles-sur-Meuse,* Dunum inter ac Virdunum.
3. Cf. Lionnois, *Histoire des Villes vieille et neuve de Nancy,* II, 239 et sq.
4. A Margarita *de Gonzague* in hac domo institutæ et postea monialibus *du Refuge* unitæ.

crevit numerus et unito prioratu Bonæ-Vallis, prope Lunevillam [1], hospitale in prioratum evasit. Capellam quam erexerant sibi domesticam, paulo post, annuente utraque potestate, publicam fecerunt et aucta in dies erga sanctum Josephum devotione, cum frequentiorem fidelium turmam continere prior non valeret, anno 1642, ampliorem construxerunt.

In Gallia, calamitatibus Lotharingiæ expedita, ocius etiam distendebatur Congregatio. Calvus-Mons [2], annis 1640 et 1641, ab Eustachio Pichot, abbate fiduciario; Genliacum [3], Cuissiacum [4], ab Anna-Michael *de Castelnau,* abbate regulari, promovente Petro Thienville, Congregationis præside, ad antiquum rigorem fuerunt adducta [5]. Anno 1649, mortuo Roggerio *de Villelongue,* intruso abbate ac successore indigno Tristandi a Longavilla, de quo supra meminimus, Buccilienses canonici a Rege ex Reformatorum numero abbatem postularunt et acceperunt Edmundum Sauvage, qui eos Congregationi devinxit (1651) Postea vero, antiqui rigoris propagandi zelo succensus, pinguem satis illam abbatiam pro Jovillarensi desolata, cum Carolo *du Fresnoy* commutavit (1672) [6]. Buccilienses quosdam

1. Gallice *Bonneval;* antea a Mira-Valle dependens.

2. Gall. *Chaumont-la-Piscine,* diœcesis Remensis, tribus a Regiteste (*Rethel*) milliaribus.

3. Gall. *Genli,* diœcesis Noviomensis (*Noyon*).

4. *Cuissy,* diœcesis Laudunensis. Hoc cœnobium, honore ac dignitate quartum veniebat abbasque ejus inter quatuor totius Ordinis Patres recensebatur.

5. *Mém. sur Brieulles,* fol. 37.

6. « En 1668, le très révérend Père Edmond Sauvage, abbé du monastère de Bucilly-en-Thiérache, faisant la visite des maisons réformées de la Circarie de Lorraine, passa par celle-ci qui n'avait pas encore embrassé la réforme et y remarqua facilement plusieurs graves abus et défauts très considérables : il y vit quelques novices qui n'avaient ni maître, ni sous-maître pour les conduire et les instruire dans la vie spirituelle et régulière, pour leur enseigner le chant, les cérémonies de l'Église et les autres exercices qui se pratiquent dans nos maisons, d'où l'on peut aisément juger que le service divin se faisait très mal dans ce monastère. Il n'y avait de prêtre que le sieur Abbé et en son absence, on

secum advexit et, assignata veteranis congrua pensione, strictam regulæ observantiam in hoc reduxit asceterium [1].

Eodem fere tempore, Regiam-Vallem [2], sub abbate commendatario Francisco Riquely, Bonaventura Messin, abbas Rengis-Vallis et Ressonium [3], Petrus *du Broc*, episcopus Altissiodorensis et beneficiarius abbas, Reformatos introduxerunt.

Præmonstrati etiam, in ipso Ordinis capite, Petrus Desbans, invictus ille Reformationis defensor et abbas Mussipontanus, a Capitulo abbas generalis, anno 1635, nemine contradicente, renuntiatus fuerat; sed, a factione Cardinalis *de Richelieu*, beneficium istud ditissimum inhiantis, exturbatus, a Cuissiacensibus abbas fuit impetratus (1643).

Mortuo autem Richelio, Petrum Raguet, Congregationis canonicum, ad abbatialem dignitatem rursus vocaverant Præmonstratenses; sed malevoli fratres, veriti ne novus præsul Archicœnobium illud et deinceps totum Ordinem Congregationi devinciret, electionem hanc quibus potuerunt nævis, tum Parisiis apud regem, tum Romæ apud Summum Pontificem, insimularunt totisque effece-

---

était obligé de recourir à quelque prêtre du voisinage pour chanter la messe ici les jours de dimanches et de fêtes. Il n'y avait point d'horloge dans le monastère, ni de cordes pour sonner les cloches de l'église : il n'y avait point de cloche non plus au dortoir pour sonner la distribution du temps et des exercices spirituels qui se pratiquent dans les maisons bien réglées. L'église, le dortoir, la maison abbatiale et les fermes de ce monastère étaient dans un état pitoyable et menaçaient d'une ruine prochaine ; il n'y avait presque point de vitres aux fenêtres de l'église et celles qui y étaient ne pouvaient arrêter l'impétuosité des vents. On était obligé de cacher le cierge qui sert pour la célébration des saints mystères au maître-autel. Les toits des bâtiments étaient tellement négligés et en si mauvais état que la pluie perçait les voûtes en plusieurs endroits : il en était de même des bois qui étaient ruinés partout. » (F. P. Marin, *Hist. de Jovilliers*, p. 95-96.)

1. Hugo, *Ann.*, I, 928.

2. Ibid., II, 619 et 646.

3. Ibid., II, 653. — Ressonium (gall. *Ressons*) tribus a Bellovaco (*Beauvais*) leucis, in diœcesis Rothomagensis finibus et in circaria Pontivi. (Nunc, *dép. de l'Oise.*)

runt conatibus ut P. Raguet confirmationem electionis postulanti, breve denegaretur. Res per duos annos sub judice fuit ac Raguet, ne disciplina Ordinis tantis discordiis pateretur, ultro abbatiam abdicavit[1].

Augustinus *Le Scellier* Raguet competitor ac successor, licet antea instaurandæ cuidam reformationi in Gallia præsertim plurimum elaboravisset, Congregationi Antiqui-Rigoris, non ex malevolentia quidem, sed ex zelo vindicandæ suæ auctoritatis, infensus aliquandiu visus est; sed ut aiunt, homo pacis pacem quærens, summam totius controversiæ in amicabili congressu et a pacificis hinc inde arbitris terminari voluit in Bonæ-Spei monasterio (1661)[2]. Inter alia enim contendebat contra bullas Summorum Pontificum, abbatem generalem, Capitulo Congregationis præsidentem, Capituli futuri locum indicere, mutareque posse decreta Capitulorum eorumdem quibus præfuisset; domos vero visitantem, movere posse professos de loco in locum ; posse etiam retinere religiosos Congregationis ad se confugientes eosque segregare in aliis monasteriis quæ non fuerint Sodalitatis. Patribus denique abbatibus jus postulabat visitandorum cœnobiorum filiationis ipsorum, etiam si Reformationis essent.

Quæ omnia, in quinque sessionibus, hinc inde agitata fuerunt. Augustinus *Le Scellier* de plerisque suis contentionibus decessit, adeptus tantum jus mutandi religiosos et indicendi locum Capitulis, sub quibusdam etiam conditionibus.

In hac synodo cujus nomen felix faustumque erat, Congregatio Antiqui-Rigoris, post quinquaginta circiter annos continuæ propagationis, *civitatem*, ut dixi, consecuta

---

1. Hugo, *Ann.*, I, 43 et sq.

2. Bona-Spes, gallice *Bon-Espoir*, in circaria Floreffiæ et in diœcesi Cameracensi, tribus leucis a Montibus, nunc in Belgia. — Cf. *Collect. capitulor. Ord. Præm.*, Synodus Bonæ-Spei, 1661.

est. Ut vero, in Gallias ocius dilataretur, nihil fuisset opportunius quam si, velut Mussiponti et Nanceii, apud Lotharingos, Servatiani in Galliarum metropoli domum haberent ad quam, tum hospites, tum scholastici per Lutetiam iter habentes, aut ibidem commorantes, religiose deversarentur. Hujus consilii auctor fuit Augustus Gaillard, Ardenæ prior; mentem suam aperuit in capitulo Congregationis, anno 1660, habito. Patres hoc consilium ratum habentes, continuo prædium in loco qui Crux rubra etiam nunc dictus est, emerunt; ædes celerrime fuerunt constructæ, conspirantibus ad sumptus omnibus cœnobiis, et, anno 1665, seminarium illud, Venerabili Altaris Sacramento sacrum, inauguratum fuit[1].

Iisdem annis, novo adhuc prioratu auctus est cœnobiorum numerus. Joachim enim Waltrin, Pareio-secus-Montem-Fortem[2], in diœcesi Tullensi, oriundus et administrator Componendæ[3], qui jamdiu de patria fructibus parcimoniæ suæ dotanda cogitabat, Romæ familiariter usus fuerat P. Epiphanio Louis, tunc Congregationis apud Sedem Apostolicam procuratore, et piis ejus exhortationibus edoctus, fundos Pareii delegavit Congregationi Norbertinæ ad exstruendam ibi domum et ad sustentandos aliquot ibidem religiosos qui tam in spiritualibus quam in temporalibus, medico ac ludi magistro constitutis, plebi subvenirent. Annuentibus Carolo IV et Andrea *du Saussey*, episcopo Tullensi, cœnobium incunctanter fuit exstructum et, anno 1662, inauguratum. Quod ultimum et novissimum ex monasteriis Præmonstratensibus, saltem in regione nostra, fuit erectum.

---

1. Hugo, *Ann.*, II, 1057.

2. Gallice, *Parey-sous-Montfort*, prope *Bulgnéville* (*dép. des Vosges*). — Hugo, *Ann.*, II, 493.

3. Ad Componendam spectat taxare omnes immunitates seu legum ecclesiasticarum exemptiones, quas a Romano Pontifice libello supplici fideles impetrant.

At interea, bellorum tumultibus ac Galliæ rege faventibus, commenda latius in Lotharingiam irrepsit et multas invasit abbatias.

Joannes *de Gombervaux*, magnus ille Salinæ - Vallis præsul qui reformationem suo monasterio indixerat, mitigatus ipse manens, abbatialem dignitatem Francisco *de Villequoy*, Caroli *de Villequoy*, Vici ac Medii-Vici gubernatoris filio, renuente licet capitulo utpote secularis esset, resignaverat. Carolus filium, vi primum sua, deinde armis Marescalchi *de la Ferté*, collocare conatus est; sed frustra, novus enim abbas a Summo Pontifice bullas impetrare non potuit, donec non accederet religiosorum et patris abbatis consensus; quem non præstiterunt antequam Franciscus professionem religiosam voverit [1].

Minus felices fuerunt canonici Septem-Fontium; Gabriel enim *de Saint-Belin* a Claudio *de Saint-Belin*, regulari abbate et avunculo suo, hanc abbatiam acceperat, avunculo agente eumque Summo Pontifici proponente, « quod propter tenuitatem fructuum dicti monasterii, illius ædificia quæ olim bellorum injuria incendio consumpta fuerunt, restaurare ac prædia et alia bona quæ alienata reperiuntur, recuperare non possit ; vixque sperandum sit ut hæc recuperentur et illa reparentur, nisi monasterium ipsum alicui personæ seculari auctoritate et facultate pollenti commendetur ; cum personæ regulares ut plurimum pauperes et impotentes existant. »

His motus, Pontifex indulsit « pro hac vice tantum, ut dixit, et ea conditione : quod propter commendam hujusmodi in dicto monasterio, divinus cultus ac solitus canonicorum ac ministrorum numerus nullatenus minuatur ; sed ejus et conventus prædictorum congrue supportentur onera ; quod, supportatis prius debitis et consuetis ipsius

1. Hugo, *Ann.*, II, 725.

monasterii oneribus, reliquos illius fructus in restaurationem ejusdem monasterii ejusque ædificiorum, donec ipsa restauratio perfecte absoluta fuerit, convertere tenearis, alioquin fructus ejusmodi tuos non facias et ad illorum restitutionem obligatus existas; teque cedente, vel decedente, aut monasterium ipsum quomodolibet dimittente, vel amittente, illud amplius non commendetur, sed in pristinam tituli naturam reverti debeat[1]... »

Iis conditionibus provisus, Gabriel longe aliter vixit; de restaurandis ædificiis ac bonis recuperandis minime curavit, sed proventus quos potuit pinguiores, ut helluo, deglutivit et in profanas manus beneficium suum perduxit. Illud enim, anno 1655, Nicolao *D'Hostel d'Escot* resignavit, qui, ut ruenti monasterio occurreret, reformationem demum introduxit (1675).

Ergo, sive abbatum regularium, sive commendatariorum, sive religiosorum ipsorum conatibus, reformatio in dies, tum in Lotharingia, tum in Galliis, ita distendebatur ut Capitulo Congregationis anni 1683, 34 abbatiarum et 4 residentiarum delegati interfuerint[2].

1. Hugo, *Ann.*, II, 791.

2. Hæc erant (ex actis Capituli 1683) :

NOMEN CONVENTUUM.	DIŒCESIS.	CIRCARIA.	ANNUS AGREGATIONIS.	
Sancta-Maria-Mussiponta^na	Tullensis.	Lotharingiæ.		
Sanctus-Paulus-Virdunensis	Virdunensis.	Id.	1620	
Salina-Vallis (*Salival*) . .	Metensis.	Id.	1620	
Justus-Mons (*Justemont*) .	Metensis.	Id.	1620-1636	
Mira-Vallis (*Mureaux*) . .	Tullensis.	Id.	1621	
Longivadum (*Longué*) . .	Remensis.	Floreffiæ.	1621	
Bella-Vallis (*Belval*). . .	Remensis.	Lotharingiæ.	1622	
Stagnum (*L'Étanche*) . . .	Virdunensis.	Id.	1626	
Rengis-Vallis (*Rengéval*) .	Tullensis.	Id.	1626	
Stivagium (*Étival*). . . .	Tullensis (?).	Id.	1627	
Ardena (*Ardenne*)	Bajocensis.	Normanniæ.	1628	
Bella-Stella (*Belle-Étoile*).	Id.	Id.	1629	

Sed Congregationis unitati domorum multiplicatio reformationisque propagatio nocuit : ex dissimilibus enim animorum generumque studiis, nonnullæ dissensiones grassatæ sunt. Sicut Benedictini Gallici reformationem Lotharingam secuti, novam a Sancto-Mauro nuncupatam sodalitatem efformarant, ita Præmonstratenses Gallici, ægre ferentes Lotharingorum jugum atque hanc jactantes causam quod Congregatio sic dispersa ab uno tantum Præside et annuo Capitulo recte administrari non posset, jam ab anno 1672, a Consilio regio et a Capitulo generali totius

NOMEN CONVENTUUM.	DIŒCESIS.	CIRCARIA.	ANNUS AGREGATIONIS.	
Silleium (*Silly*)	Sagiensis.	Normanniæ.	1629	
Mons-Dei (*Mondey*). . . .	Lexoviensis.	Id.	1634	
Flabonis-Mons(*Flabémont*)	Tullensis.	Lotharingiæ.	1634	
Janduriæ (*Jandeures*) . .	Id.	Id.	1634	
Bonifagetum (*Bonfays*). .	Id.	Id.	1635	
Sanctus-Joannes-de-Falesia. . . .	Sagiensis.	Id.	1635	
Seriacum (*Séry*)	Ambianensis.	Pontivi.	1636	Prope *Abbeville.*
Calvus-Mons (*Chaumont*) .	Remensis.	Floreffiæ.	1640	
Genliacum (*Genli*)	Noviomensis.	Flandriæ.	1641	
Cuissiacum (*Cuissy*) . . .	Laudunensis.	Franciæ.	1641	
Buccilium (*Bucilly*). . . .	Id.	Floreffiæ.	1651	
Ressonium (*Ressons*). . .	Rothomagensis.	Pontivi.	Circa 1660	
Lucerna (*La Luzerne*) . .	Abrincensis.	Normanniæ.	1660	
Stella (*L'Étoile*)	Blesensis.	Id.	1660	
Venerabile-Sacramentum.	Parisiensis.	Franciæ.	»	Fund. 1665
Regia-Vallis (*Riéval*). . .	Tullensis	Lotharingiæ.	Circa 1670	
Marchasium - Radulphum (*Marcheraoul*)	Rothomagensis.	Pontivi.	Circa 1672	Prope *Beauvais.*
Jovillare (*Jovilliers*) . . .	Tullensis.	Lotharingiæ.	1672	
Insula-Dei (*L'Isle-Dieu*). .	Rothomagensis.	Normanniæ.	Circa 1672	Prope *Rouen.*
Perrodii-Novi (*Perray-Neuf*)	Andegavensis.	Arverniæ.	1675	Prope *Sablé.*
Septem-Fontes-in-Bassiniaco (*Sept-Fontaines*) .	Lingonensis.	Lotharingiæ.	1675	
Calvaria (*Calvaire*). . . .	Remensis.	Floreffiæ.	1676	Prope *Charleville.*
RESIDENTIÆ.				
Sanctus - Josephus - Nanceiensis	Tullensis.	Lotharingiæ.	Fund. 1635	
Briolæ (*Brieulles*)	Remensis.	Id.	— 1638	
Sancta-Othilia	Argentinensis.	Id.	Reform. 1627	
Pareium - secus - Montem - Fortem (*Parey*)	Tullensis.	Id.	Fund. 1662	

Ordinis frustra petierant Sodalitatis divisionem in plures provincias[1]. In aliquam tamen compensationem, Capitulum proprium Congregationis Normannis, anno 1674, concesserat ut regionis suæ nec novitii, nec professi in monasteria ceterarum circariarum transferrentur.

Sed sejunctionis illud studium, ad tempus remissum, non elanguit et in Capitulo Sodalitatis, Bella-Valle, mense aprili 1689 habito, cum Galli, Virdunensibus ac Cuissiacensibus canonicis hujus consilii auctoribus, preces suas iteravissent, Michael Colbert, abbas Præmonstrati, Gallis favens, et major pars capitulantium a Gallis conflata in tres circarias monasteria reformata distribuerunt. Circaria Franciæ complectebatur Sanctum-Paulum, Stagnum, Briolas, Bellam-Vallem, Longivadum, Calvum-Montem, Buccilium, Cuissiacum, Genliacum, Seriacum, Ressonium, Marchasium-Radulphum, Regiam-Vallem, Miram-Vallem, Septem-Fontes, Ven. Sacramentum et Calvariam. — Circaria Lotharingiæ, Sanctam-Mariam, Salinam-Vallem, Justum-Montem, Rengis-Vallem, Stivagium, Flabonis-Montem, Bonifagetum, Sanctum-Josephum-Nanceiensem, Jandurias, Jovillare, Sanctam-Othiliam et Pareium. — Circaria Normanniæ, Ardenas, Sanctum-Joannem, Silleium, Bellam-Stellam, Stellam, Perrodium, Insulam-Dei, Montem-Dei, Lucernam. — Cum singulæ provinciæ vicarius generalis et annuum capitulum concederentur, Congregatio Servatiana in tres sodalitates prorsus liberas vere distrahebatur. Huic divisioni licet a Consilio regio, die 21ª septembris 1689, confirmatæ, utpote Lotharingiæ circariam minuenti et Congregationis unitatem rumpenti, Remigius Josnet, abbas Salinæ-Vallis et præses Congregationis, ceterique Lotharingi abbates

1. Cf. *Collectionem capitulorum Ordinis*, de qua in indice bibliographico. — Acta Capituli Congregationis, 1689.

intercesserunt; et a Consilio regio, die 4ª decembris 1690, eo facilius horum decretorum revocationem et novi Capituli indictionem impetrarunt, quod e re Ludovici XIV, tunc armis Lotharingia potientis, erat, religiosos regionis hujus cum ceteris Præmonstratensibus regni sui misceri.

In isto secundo Capitulo, Bella-Valle, in mense Januario 1691, celebrato, Michael Colbert Sodalitatem, cum scindere non valeret, totam Gallis subdere molitus est. Postquam eam esse voluntatem regis ut acta prioris Capituli rescinderentur privilegiumque etiam Normannis olim concessum abrogaretur et, neglecta patriæ generisve ratione, Lotharingi aliquot in Gallica, Galli rursus in Lotharinga monasteria, ad consummandam conjunctionem mitterentur, sponte sua, præsidem Congregationis renuntiavit Servatium Frouart, abbatem Buccilii. Cum autem capitulantes rite duos e sex definitoribus, Petrum Lastelle, priorem Montis-Dei et Nicolaum Guinet, abbatem Sanctæ-Mariæ-Majoris elegissent, nec omnino de tertio consensissent, Michael Colbert electionem procrastinavit et veritus ne capitulantes aliis Lotharingis suffragia darent, posthabito iterum capitulantium jure, definitores ipse constituit tres viros e Gallicanis monasteriis assumptos, nempe Edmundum Maclot, abbatem Stagni, Ignatium Majorel, Sancti-Pauli priorem, et Nicolaum Coffin, priorem Briolarum, cœnobiis omnibus Lotharingis Gallicos priores imposuit et demum, infectis ceteris rebus, raptim cœtum dimisit. Sed Lotharingi ac Normanni, e jure suo depulsi persecutionibusque denuo coadunati, de injuria sua apud regem expostulaverunt, et interea Lotharingi, tum se in Gallicana monasteria velut in exilium mitti, tum priores ex hostili Gallorum gente ut dominos recipere, unanimi constantia recusarunt.

Consilium igitur regium acta secundi Bellevallensis Capituli denuntiavit, Nicolaoque Guinet regimen Sodali-

tatis per interim commisit, et licet reclamitarent Virdunenses et Cuissiacenses, a quibus totius pendebat origo dissidii, jussit Capitulum denuo celebrari, post Pascha, Parisiis, in domo Venerabilis-Sacramenti.

Cujusnam autem præsidis electione et qua ratione composita fuerit hæc contentio, nescimus; sed ad quamdam tamen circariarum divisionem, saltem ut onera distribuerentur, adductos fuisse patres Congregationis constat ex eo quod Hugo de Venerabili-Sacramento scripsit : « Domus enim hæc, a *tribus circariis,* Lotharingiæ, Normanniæ ac Campaniæ, parem singulis annis canonicorum numerum et priorem ceterosque officiales alternis vicibus accipiebat [1]. »

Reformatorum igitur facta per totum illud XVII seculum, in tria tempora distribui posse videntur. Usque ad Bonæ-Spei synodum, adversus ceteros Ordinis abbates et canonicos, primum de existentia, dein de civitate, concordibus animis certarunt. Sed ab isto concilio, positis externorum periculorum curis, sive ambitionis vitio, sive patriæ amore, lenta dissensione sejuncti, in plures circarias, non jure forsan sed facto quidem, fuerunt divisi [2].

Nunc vero, omissis aliis, ad Lotharingos nostros revertimur.

1. Hugo, *Ann.*, II, 1060.

2. Post annum 1690, Congregatio parum propagata fuisse videtur, nam Hélyot, in sua Historia Ordinum religiosorum (1721) 42 tantum Servatianorum monasteria numeravit (op. cit., II, c. XXV).

CAPUT QUINTUM.

CONGREGATIO VIRIS DOCTRINA CONSPICUIS ILLUSTRATUR.

Congregatio Norbertina, dum et domorum numero et canonicorum frequentia florescebat, viros quosdam edidit doctrinæ eruditionisve laude conspicuos. Licet Sodalitati SS. Vitonis et Hydulphi primas cedere cogatur, attamen PP. Aug. Calmet, Fangé, Cellier, Belhomme atque aliis opponere potest aliquot scriptores qui, hodie etiam, haud parvi æstimantur.

Sed illi fere omnes Norbertini scriptores, sive in ascetica theologia, sive in hagiographia, sive in jure canonico, sive etiam in historia, unice res tantum ad suam religionem spectantes curavere[1].

Primum iter sibi fecere adversus contradicentes Servatius *de Lairuels*, Nicolaus Guinet ac Petrus Desbans, de quibus supra ; quos postea secutus est Leopoldus Perrin (XVIII s.) in opere suo prelis parato, et hoc titulum præ se ferente : *Réfutation de ceux qui accusent les religieux d'inutilité.*

Ad canonicos suos moribus vere religiosis imbuendos Servatius, in ipso suo monasterio, typis edidit : *Opticam regularium in regulam sancti Augustini* et *Catechismum novitiorum*[2] qui deinceps Coloniæ fuit impressum, aliudque opus

1. Pro Servatio et aliis Ordinis scriptoribus, cf. *Bibl. lorr.*

2. *Catechismi Noviliorum et eorumdem Magistri, omnibus quorumcumque ordinum religiosis utilissimi, tomus I, — tomus II, authore R. D. Servatio de Lairuels, doct. theologo, S. Mariæ-Majoris-Mussipontanæ, olim ad Nemus abbate et R. D. Petri Gossetii, Ord. Præmonstrateñ. generalis, in communitate Antiqui Rigoris, nec non per Germaniam, Boemiam et Poloniam vicario generali.* — Mussiponti, apud Sanctam-Mariam-Majorem, per Franciscum Du Bois, serenissimi ducis Lotharingiæ typographum. — Anno Domini MDCXXIII. (Liber rarissimus.)

cui titulus : *Meditationes ad vitæ religiosæ perfectionem cognoscendam utilissimæ ex novo R. P. Lucæ Pinelli Gersone deprompta et gallico idiomate in latinum in monasterio novo Sanctæ-Mariæ-Majoris, Mussiponti, Ordinis Præmonstratensis translatæ. His accesserunt aliquot aliæ ab ejusdem monasterii abbate Servatio conscriptæ.* (Mussiponti, in Monasterio novo Sanctæ-Mariæ-Majoris, anno 1621, in-16.) Quæ meditationes reformatis religiosis ad exercitia spiritualia sequenda profuturæ, in gallicum sermonem iterum fuerunt relatæ et anno 1628, apud Joannem *de Henqueville* impressæ.

Servatius demum prelo paratum reliquit hunc sermonem : *Dialogue sur la vie religieuse, entre deux religieux, l'un Lorrain, l'autre Picard.*

Sed Congregationis asceticorum scriptorum longe princeps fuit P. Epiphanius Louis, Nanceiensis, e Sancti-Pauli priore Stivagiensis factus abbas, anno 1663, de quo Hugo sic loquitur : « In theologia eum doctorem et magistrum suspexit Congregatio Norbertina. Vicarium generalem sagaciorem non habuit in regendo ; facundum in concionando reges et principes grate auscultarunt ; in scribendo limatum doctores demirati sunt ; in convictu affabilem senserunt domestici et exteri ; humilem in dignitatis fastigio, subditi experti sunt omnes. De rebus mysticis vix alter profundius scripsit ; vitæ interioris continua praxi luculentius utilitatem ejus probavit. Congregationis Benedictinarum a cultu perenni Venerabilis-Sacramenti nuncupatarum[1] auctor fuit et legifer. Sororibus hospitalibus, a Sancto-Carolo dictis[2], constitutiones præscripsit discretione et charitate in pauperes sapienter conditas. Ordinis et Eccle-

---

1. Gallice *Bénédictines du Saint-Sacrement.* A Catharina *de Bar*, seu Mechtilde a Sancto-Sacramento, fundatæ sunt anno 1653.

2. Sorores hospitales a Sancto-Carolo, gallice *de Saint-Charles*, fundatæ fuerunt Nanceii, anno 1642, ab Emmanuele Chauvenel et quibusdam devotis feminis.

siarum sollicitudine, librorum compositione, verbi divini instantia, pœnitentiæ jugis labore confectus, Virduni occubuit die 23ª septembris 1682 [1]. »

Pro Benedictinarum informatione et doctrina quatuor edidit opera, quorum tria fuerunt prelis mandata : *La Nature immolée par la grâce, ou la Pratique de la mort mystique, pour l'instruction et la conduite des religieuses Bénédictines de l'Adoration Perpétuelle.* Paris, 1674, in-8°. — *La Vie sacrifiée et anéantie des novices qui prétendent s'offrir en qualité de victimes du Fils de Dieu dans la Congrégation des religieuses Bénédictines de l'Adoration Perpétuelle.* Paris, chez Josse, 1674-1675, in-8°. — *Conférences mystiques sur le recueillement de l'âme pour arriver à la contemplation du simple regard de Dieu par les lumières de la foy.* Paris, Ch. Remy, 1676, in-8°.

Quartum typis paratum sic inscriptum erat : *Traité de la contemplation naturelle par forme de conférences entre Philothée et son directeur.*

Ejus epistolæ pietatem odorantes, e typis Caroli Remy, Parisiensis, prodierunt, anno 1688, P. Michaelis *La Ronde* diligentia qui, anno 1684, dederat ipse librum mysticum sub titulo : *Pratique de l'oraison de foi ou de la contemplation divine par une simple vue intellectuelle* [2], et qui postea fuit in priorem Sancti-Pauli-Virdunensis assumptus.

Cum ad alendum in quovis Ordine fervorem nemo potior sit optimo novitiorum magistro, Bonaventura Messin, abbas Rengis-Vallis, *Ideam* adumbravit *Magistri Novitiorum veterem hominem renovantis juxta quadruplicem modum instituto Præmonstratensi maxime congruentem*, quæ in Stivagiensi bibliotheca, teste Calmetio, manuscripta servabatur.

Ad idem postea revertens propositum, Nicolaus François,

1. Hugo, *Ann.*, II, 916.
2. Paris, Remy, 1684.

Prineius, doct. theol., Mussiponti magister novitiorum; dein prior Sancti-Josephi-Nanceiensis et denique abbas Janduriarum, mortuus anno 1743, duos exaravit libros : *La bonne Conduite d'un novice durant son noviciat* et *La bonne Conduite que doit tenir un religieux profès.*

P. Ignatius Maurice, Virdunensis († 1723), *Vitam* amplissimam *Domini Nostri Jesu Christi;* P. Dominicus Collin, prior Mussipontanus, *Vitam sancti Norberti* reliquerunt manuscriptas. Hugo Peltre, e Sancto-Nicolao oriundus († 1724), Argentorati, typis Storckianis, *Vitam sanctæ Othiliæ* edidit anno 1699. P. Antonius Aubertin, prior Stivagii († 1678), vitas *sancti Asterii Perigourdensis eremitæ* et *sanctæ Richardis, Caroli Crassi uxoris, Andelacensis abbatissæ,* anno 1656, Nanceii, apud Charlot, gallico evulgavit idiomate. P. Hermann Stelz, Servatio ab epistolis, Capituli generalis jussu, anno 1635, *Vitam Servatii de Lairuels* et *Historiam Congregationis* scribere cœpit : quæ in bibliotheca Sanctæ-Mariæ-Majoris asservatæ fuerunt manuscriptæ, sed hodie periisse videntur. Edmundus Maclot, doctor theologus et Stagni abbas, luci publicæ dedit, suppresso suo nomine, librum qui mihi fuisset utilissimus, *Institutionem* scilicet *Reformationis in Ordine Præmonstratensi.* (Parisiis, apud viduam Steph. Chardon, 1697.) Idem, *Historiam Veteris Testamenti* (1705) et *Novi Testamenti* (1712) vulgavit gallico sermone.

Sed in historia præsertim nomen sibi fecerunt Lotharingi Præmonstratenses, inter quos eminet Carolus-Ludovicus Hugo qui, licet adversantis fortunæ casibus impetitus et plurimis alienissimisque distentus negotiis, Ordinem suum ac litterarum rempublicam haud paucis exornavit voluminibus[1].

---

1. Cf. *Bibl. lorraine* et Laudationem Hugonis in Academia Nanceiensi ab A. Digot recitatam : *Éloge historique de Charles-Louis Hugo, évêque de Ptolémaïde et abbé d'Étival, par Auguste Digot.* Nancy, Grimblot, 1843.

In oppido Sancti-Michaelis, die 20ª septembris 1667 natus, prima, Stanchiæ, sub abbate Edmundo Maclot, virtutis et doctrinæ hausit semina ; novitiatum Sanctæ-Mariæ-Majoris ingressus anno 1683, professionem edidit die 28ª augusti 1685 et Ludovicum nomen sibi sumpsit. Jovillare primum missus est, apud Edmundum Sauvage, deinde in Biturigensem Academiam, ubi doctor fuit renuntiatus (1690 aut 1691); Janduriis, mox Stivagii, theologiam docuit et anno 1700, a patribus Congregationis prior Sancti-Josephi-Nanceiensis fuit designatus; dum ædificiis et ecclesiæ hujus domus de novo extruendis incumberet, primo, anno 1708, a Nicolao Brisacier, abbate Flabonis-Montis commendatario, mox anno 1710, a Simeone Godin, Stivagiensi abbate, in coadjutorem postulatus, Nanceio valedixit et suæ novæ dignitatis adiit possessionem Calendis Aprilis 1712, post decem annos abbas renuntiandus[1].

Jam ab anno 1698, aliquot in lucem emisit libros : *Historiam Moysis*[2] ; *Confutationem Petri Faydit*[3] ; *Apologiam Canonicorum adversus P. Chaponel et tractatum de Canonicitate Ordinis Præmonstratensis*[4] ; *Episcoporum* etiam *Tullensium Chronologicum systema* a Francisco *de Riguet* excogitatum[5], aliquot post ejus mortem mensibus, edidit, ac nihil intractatum relinquens, anno 1705, aliquid ad instar *Mercurii Galliæ* apud Lotharingos instituere aggressus est[6]. *Vita* vero

---

1. 22 oct. 1722, ex resignatione Simeonis Godin et electione religiosorum.

2. *Vie de Moïse*. Luxembourg, 1698. In-8°.

3. *Réfutation du système de M. Faydit sur la Trinité*. Luxembourg, 1699. — *Réponse à l'apologie du système de M. Faydit sur la Trinité*. Paris, Jean Moreau, 1702.

4. *Critique de l'histoire des chanoines, ou Apologie des chanoines propriétaires, depuis les premiers siècles de l'Église jusqu'au* XIIe, *avec une dissertation sur la canonicité de l'Ordre de Prémontré*. Luxembourg, 1700.

5. *Système chronologique, historique des évêques de Toul*. Nancy, Barbier, 1701. In-8°.

6. *Journal littéraire*. Soleure, Joseph de Romain. In-8°. — Hoc diarium per annum 1705 tantum in lucem prodiit.

sancti Norberti quam doctis instructam notis et eleganti sermone conspicuam typis mandavit[1] ac defendit adversus quosdam ejusdem Ordinis ac circariæ impugnatores, PP. Ethéard, abbatem Sancti-Pauli-Virdunensis, et Gauthier[2], omnium ac præsertim ducis Leopoldi in se convertit oculos. Dux igitur ei Lotharingorum gesta referendi munus atque officium commisit et omnia Archivorum aperuit arcana. Tanto oneri haud impar fuisset, si antea ad infirmanda dicta P. Benedicti Picard, Ordinis Capucinorum, *Tractatum de Origine et genealogia domus Lotharingiæ* non edidisset anno 1711[3], regi Francorum vehementer injucundum et a Curia Parisiensi damnatum ac suppressum. Dux ergo, licet auctori ac systemati valde favens, ne ultro sibi cum Gallis negotia exhiberet, historiographi Lotharingorum titulum ac munus Augustino Calmet, nondum abbati Senonensi, transmisit atque Hugonem etiam impedivit quominus *Nobiliarium Lotharingicum*[4], ac *vitas Caroli IV*[5] et *Caroli V*[6], jam prelo parata sed his temporibus maxime intempestiva, publici juris faceret.

Sed majores etiam molestiæ Hugonem manebant. Magna Vosagorum cœnobia, Medianum scilicet Monasterium, Senones ac Stivagium, nec non Sandeodatense Capitulum affirmabant se ab initio fuisse et per totam seriem seculorum permansisse ab episcoporum Tullensium jurisdictione exempta atque esse, ut aiebant, *nullius diœceseos*.

---

1. *La Vie de saint Norbert, archevêque de Magdebourg et fondateur de l'Ordre des chanoines Prémontrés. Avec des notes pour l'éclaircissement de son histoire et de celle du* XII*e siècle.* Luxembourg, André Chevalier, 1704. In-4°.

2. *Réponse au P. Ethéard, abbé régulier de Saint-Paul de Verdun et au P. Gauthier, prémontré, sur l'habit blanc de Prémontré.* 1705

3. *Traité historique et critique sur l'origine et la généalogie de la Maison de Lorraine.* Berlin (Strasbourg), Ulrich Liebpert, 1711. In-8°.

4. Hujus Nobiliarii codex manuscriptus, tempore cessionis, Viennam translatus fuit et ibidem nunc asservatur.

5. Mss. 129 Bibl. public. Nanceiensis.

6. Mss. 86 Bibl. public. Nanceiensis.

Nuper etiam, adversus Jacobum *de Fieux,* P. Epiphanius Louis pro Stivagio et P. Hyacinthus Alliot pro Mediano-Monasterio, hoc privilegium sibi vindicarant[1]. Hugo igitur, vix abbas electus, sive studio tantum salutis animarum procurandæ, sive etiam, quod probabilius videtur, auctoritatis suæ statim ab initio asserendæ, Joannem-Claudium Sommier, Capituli Sandeodatensis præpositum et archiepiscopum Cæsareæ *in partibus infidelium,* ut populis abbatiæ subjectis Confirmationem conferret, Stivagium vocavit et ad fideles sacramento præparandos, litteras pastorales, anno 1725[2], emisit in quibus exemptionem suam tuebatur et de episcoporum Tullensium zelo sat irreverenter loquebatur. Scipio-Hieronymus Begon, qui tunc temporis cathedram sancti Mansueti obtinebat, abbatis Stivagiensis usurpationi, ut putabat, intercessit; sed, cum Hugo intercessionem neglexisset, novas iterum litteras protulisset[3], et ad Summum Pontificem appellasset, episcopus Tullensis rem ad clerum Gallicanum retulit et Leopoldus, regem Galliæ veritus, bis Hugonem suum abbatia submovit.

Hugo quidem, licet cœnobio extorris, a principe derelictus, ab Ordinis Generali Claudio-Honorato Luca *de Muin* atque ipsis Congregationis suæ sodalibus severe damnatus, carminibus insuper famosis derisus, invicto permansit animo, nec dicta retegens, nec quidquam e postulationibus suis remittens.

---

1. Confer de hac re Collectionem manuscriptam diplomatorum litterarumque ab Hugone, aut scriptarum, aut receptarum, in Bibl. Nanceiensi servatam in tribus voluminibus, sub numero 151. — Guillaume, *Histoire du diocèse de Toul,* III, 418 et sq. ; IV, 151 et sq.

2. *Mandement de Mgr le Révérendissime Abbé d'Estival, pour disposer les peuples à bien recevoir le sacrement de Confirmation.* Estival, in-4°.

3. *Ordonnance de Mgr le Révérendissime Abbé d'Estival, portant condamnation des réquisitions du promoteur de l'évêché de Toul et du jugement rendu en conséquence contre le mandement de mondit seigneur Abbé d'Estival au sujet de l'administration du sacrement de Confirmation par Mgr l'archevêque de Césarée dans le territoire d'Estival.* Estival, Dominique-Joseph Bouchard, 1725. in-4°.

Hanc demiratus constantiam ac precibus multorum permotus, Summus Pontifex, Benedictus XIII, ut, saltem ad tempus, hanc controversiam pacifice dirimeret, Hugonem, licet invitum ac reluctantem, episcopum Ptolemaidæ pronuntiavit[1] (1728).

Ex ista promotione nonnullæ in cœnobiis circariæ subortæ sunt quæstiones : utrum penes abbatem sic ad dignitatem episcopalem assumptum, remaneret jurisdictio immediata in conventum, an priori claustrali obtingeret; alii aliter sentiebant, sed P. Albertus Marion qui multa juris canonici capita ad Præmonstratenses pertinentia excusserat, priorem sententiam tuitus est in suo libro : *L'Abbé régulier sacré évêque in partibus infidelium*[2].

Tot tantisque curis exagitatus, sed a studiis suis minime distractus, in exemplumque sibi assumens Joannem Mabillon, Lucam *d'Achery* aliosque Congregationis Sancti-Mauri doctissimos scriptores, duos *Sacræ Antiquitatis monumentorum* collegit libros quorum prior, anno 1725, domesticis typis commissus, amplectebatur Gervasii, abbatis Præmonstrati, epistolas ; Antiquitates prioratus Hireevallensis ; Antiquitates Vallis-Galileæ ; Diarium et Medullam votorum Patrum Tridentinorum, auctore N. Psalmæo, et ejusdem elucidationes ; Chronica B. Emonis et Menconis, abb. Werumensium. Alter vero liber, in oppido Sancti-Deodati, typis Josephi Charlot, anno 1631, editus continebat Acta B. Lucæ, abbatis Cuissiaci ; Vitam B. Ludovici, comitis Arnstenii ; Chronicon F. Balduini, canonici Ninoviensis ; Chronicon Abbatiæ Viconiensis ; Sibrandi Leonis chronica ; Parisiensis abbatiæ et Alspachensis, monialium abbatiæ, in Alsatia, antiquitates ; Hugonis Metelli

1. Mortuo Hugone, abbatia fuit commendata Scipioni-Hieronyno Begon ejusque successoribus, donec, diœcesi Sandeodatensi formata, ecclesiæ cathedrali illius novæ diœceseos uniretur. Sic confectum est dissidium hoc longissimum.

2. Cf. *Bibl.. lorr.* Albert Marion.

LV epistolas; Antiquas constitutiones cœnobii Sancti-Petri-Montis, etc.[1].

Et interea Hugo erigere sibi proposuit in honorem Norbertinorum amplissimum monumentum in quo, ut Mabillon in Annalibus benedictinis Actisque Sanctorum Ordinis sancti Benedicti res suorum narraverat, ipse Præmonstratensium gesta recenseret ac celebraret. Quamobrem historiographus Ordinis a Capitulo generali anni 1717 designatus[2], manum sine mora *Sacri et Canonici Ordinis Præmonstratensis Annalibus* admovit, in quatuor partes dividendis: in Monasteriologiam, chronica brevia seriesque abbatum uniuscujusque cœnobii continentem; in Historiam, seu annales Ordinis a sancto Norberto usque ad XVIII seculum; in Bibliothecam insuper, seu vitas et opera Præmonstratensium qui litteras et Ordinem scriptis illustraverant; in Menologium denique, seu acta Sanctorum ac Beatorum Ordinis.

Ita vero institit operi ut, anno 1734, tomus primus et biennio post, tomus secundus Monasteriologiæ in lucem prodierint[3]. Jam initio anni 1739 tomus primus secundæ partis, id est, *Annalium Ordinis seculum primum,* typis paratus erat et abbati *de Vence,* censori regio, ad excutiendum submissus, cum e vita decessit Hugo, die 2ª Augusti anni 1739, opus suum relinquens infectum.

Coadjutorem habuit Carolum Martin, postea Cuissiaci

---

1. *Sacræ Antiquitatis monumenta historica, dogmatica, diplomatica..* tomus I. Stivagii apud Martin Heller, 1725; tomus II. in oppido Sancti. Deodati, typis Josephi Charlot, 1731.

2. « Capitulum volens historiæ, utilitati et decori Ordinis providere, « elegit et nominavit R. adm. D. Ludovicum Hugo... qui bullas Pontificias « et omnia Ordinis monumenta ab omnibus et singulis monasteriorum « nostrorum superioribus, propriis expensis, ad ipsum transmittenda exi- « gere possit et in unum colligere. » (*Act. capit.* 1717. Sessio IIª, — in Coll. capit.)

3. Cf. Librorum indicem ad caput hujus libelli appositum.

abbatem qui, ut ait, « toto biennio operam impendit assiduam, nunc evolvendis scriptoribus, nunc ad veritatis historicæ fidem et regulam emendandis privatis actibus, nunc ad chronologiæ crisim discutiendis corrigendisve diplomatibus per notas ad marginem appositas, utique sua dignas eruditione[1] » et qui majorem partem Præfationis ad Monasteriologiam appositæ, necnon, dum apud Sanctam-Othiliam incoleret, historiam Monasterii Hohemburgensis summa eruditione exaravit[2].

Hoc subsidio desinente, Hugoni venit in adjutorium P. Joannes Blanpain, Stivagiensis canonicus, qui, ut verbis etiam Hugonis utar, « agilem in scribendo manum accommodans, sensim scribendi ex propria Minerva idoneus evasit[3] ». Notis illustravit ille *Vitam B. Ludovici, comitis Arnstenii,* et *Chronica abbatiæ Viconiensis,* typisque mandavit *Chronica Balduini Ninoviensis* quæ postea in *Sacræ Antiquitatis monumentis* inserta fuerunt; manuscriptos denique reliquit tres codices *Juris canonici regularium, præsertim Præmonstratensium.* Hugoni primum amicitia conjunctus, sed deinde, nescimus qua causa, ab eo alienatus, post editum Monasteriologiæ primum volumen, librorum abbatis sui censuram, invidiæ magis quam veritati sæpius consulens, gallico sermone instituit[4].

Illius igitur loco, Hugo, primum in laborum et honorum deinde societatem vocavit Carolum Saulnier, priorem Stivagii, qui morte interceptus nihil aliud reliquit impressum, nisi *Collectionem Statutorum Ordinis Præmonstratensis* editam Stivagii anno 1725. Blanpain vero, Hugone vita functo, ejus partes in scribenda Ordinis historia sus-

1. *Ann.* Præfatio, XVI.
2. *Bibl. lorr.* Charles Martin. — Historia Hohemburgica inserta fuit ab Hugone in II volumine suæ Monasteriologiæ, p. 391.
3. *Ann.* Præfatio, XVI.
4. *Jugement des écrits de M. Hugo, évêque de Ptolémaïde, abbé d'Estival en Lorraine, historiographe de l'Ordre de Prémontré.* s. l. 1736, in-8°.

cepit; jamque iterum Annalium tomus primus prelo paratus erat et Ant. Leseure, Nanceiensi typographo, commissus; jam etiam titulus impressus erat[1]; sed abbas Præmonstrati, cum Ordinis monasteria minori zelo pecuniam necessariam suppeditarent, *Annales* ab Antonio Leseure abstulit alicui typographo qui rem totam sumptibus suis conduceret, committendos[2]. At nullum invenisse videtur et Joannis Blanpain codices Stivagium rediere; ac Stivagio post plures peregrinationes, Nanceium, in bibliothecam Seminarii majoris transierunt.

Unde, ut huic scriptorum seriei finem imponamus ac cuique jus suum tribuamus, non audiendus est Casimir Oudin, primum canonicus Stagni, qui, postquam dedit, anno 1688, *Supplementum de scriptoribus vel scriptis a Bellarmino omissis,* in Belgiam Bataviamque ad perlustranda singulorum cœnobiorum tabularia missus, fide catholica et religione Norbertina per duplicem apostasiam abjectis, infensissimum Ordinis sui adversarium se declaravit et in ceteris scriptis, nullam occasionem prætermisit quin assereret Ordinem Præmonstratensem in ignorantia natum, « a crepundiis et per succedentium seculorum spatia in ignorantiæ tenebris adolevisse[3]. »

Hæc fortasse vera sunt, saltem in circaria Lotharingiæ, si ad secula tantum attendas quæ reformationem Servatii præcesserunt, sed prorsus abjicienda sunt cuicumque con-

1. *Annales sacri et canonici Ordinis Præmonstratensis, in quibus ecclesiasticæ Historiæ pars haud exigua continetur,* auctore R. P. Joanne Blanpain. Tomus I complectens libros XVI ab ortu sancti Norberti, ejusdem Ordinis institutoris : id est ab anno Christi MLXXX ad annum MCLXXX, cum appendice et indicibus necessariis. — Nanceii, typis Ant. Leseure, ad insigne Sancti-Joannis-Evangelistæ. Anno MDCCXLVII.

2. *Collectio instrumentorum,* etc... Pars IVª, passim. Epistola P. Generalis ad Blanpain, 30 aprilis 1749.

3. *Supplementum de scriptoribus vel scriptis a Bellarmino omissis ad annum* 1460. Paris, 1688, in-8°. — Cf. *Bibl. lorr.* Casimir Oudin.

4. Hugo, *Ann.* Præfatio, XVI.

sideranti hanc sat numerosam scriptorum turmam qui Servatium et Hugonem, velut satellites, comitantur[1].

In frequentioribus saltem conventibus, Janduriis, Mira-Valle[2], Bella-Valle[3], etc., scientiis vocationi suæ congruentibus ut informarentur canonici, Capitula Congregationis Theologiæ Philosophiæque cursus instituerunt eosque selectis fratribus commiserunt qui in Universitate Mussipontana aut alibi, studiorum curriculum emensi, laureis academicis fuerant donati.

In singulis domibus, amplissimæ bibliothecæ a præsulibus certatim collectæ fuerunt et sæpius, ut Mussiponti, in splendidissimis ædibus collocatæ. Stivagii etiam, Hugo, celeberrimam illam scholam Senonibus conditam æmula-

1. Canonicorum numerus pro temporum varietate variavit. Monasteria, in prioribus Ordinis seculis, frequentissima, tum remissionis lue, tum bellis ceterisque calamitatibus, currente præsertim XVII seculo, pene fuerunt vastata.

Sub translationis tempore, cœnobium Nemorense quindecim circiter professos numerabat ; sed, instituto Mussiponti novitiatu, mox auctus est religiosorum numerus : anno 1623, sexaginta ad minus, adfuerunt solemni pompæ quam, ob relatos in Sanctorum numerum Ignatium et Franciscum duxerunt Patres Societatis Jesu (*Sacra atque Hilaria Mussipontana*, p. 27), et anno 1665, quadraginta circiter, supplicationi in honorem SS. Sacramenti et Caroli IV institutæ, interfuerunt. (*Mémoire sur Brieulles*, fol. 103.)

Stanchia, quæ semper inter domus Lotharingas infimum habuit locum, nunquam octo professorum excessit numerum.

Regia-Vallis, anno 1603, a quatuor professis et totidem tironibus frequentabatur et, anno 1779, sex religiosos tantum alebat.

Ut videre est in relatione a prætore Gallico anno 1698 descripta (*Description et statistique de la Lorraine et du Barrois, en 1698, par M. de Vaubourg.* — Mss. 2 Soc. arch. Loth.), in domo Sancti-Josephi, quinque erant professi ; Rengis-Valle, sex ; Mussiponti, duodeviginti ; Stivagii, undecim ; Bonifageti, quinque ; Salina-Valle, septem ; Jovillari, totidem ; Regia-Valle, quatuor ; Mira-Valle, octo ; Flabonis-Monte, sex ; Janduriis, sex ; Stagni, sex.

Sed, in priori saltem XVIII seculi parte, numerus ille Norbertinorum, pace et fervore reductis, paulum crevisse videtur : nam Rengis-Vallis, anno 1772, a duodecim sacerdotibus habitabatur (Dumont, *Rengéval*, p. 415), ac Sanctus-Paulus qui, annis 1685 et 1702, decem tantum professos alebat, anno 1775, quatuordecim canonicos, duodecim tirones et sex fratres conversos numerabat. (Robinet, I, 248.)

2. Mira-Valle Theologiam docuerunt Casimir Oudin (1666) et Nicolaus Mansuy (1717). (*Bibl. lorr.* nom. cit.)

3. Nicolaus Mansuy, circa annum 1713, Bella-Valle Philosophiam docuit (*ibid.*).

tus, academiam hujusmodi formavit, in qua per plures annos P. Blanpain Rhetoricam, Philosophiam, Jus canonicum Theologiamque multis e suis junioribus fratribus tradidit[1].

Currente igitur XVIII seculo duplici quasi sole apud Lotharingos fota est Congregatio Norbertina : Mussiponti enim omnes formabantur tirones, multique professi Theologiam in Universitate discebant ; Stivagii vero, Hugo omnium liberalium artium studia incredibili promoverat ardore.

1. *Bibl. lorr.* Blanpain.

EPILOGUS

Dum litterarum studiis virtutibusque religiosis incumbentes, monumenta in honorem ac defensionem Ordinis sui erigebant Præmonstratenses Lotharingi, cœnobia pleraque atque ecclesias regio quodam splendore de novo refecerunt; e quibus recensere satis sit Sanctum-Josephum-Nanceiensem ac Stivagium, Hugone promovente, restituta; Flabonis-Montem, Rengis-Vallem, Salinam-Vallem ac Miram-Vallem; Jandurias ad artis apicem sic ædificatas ut fuerint pene artis miraculum et denique cœnobium illud Mussipontanum quod ædium amplitudine ac magnificentia cetera superavit[1]. His fere omnibus laboribus præfuerunt F. Nicolaus Pierson, coadjutor hujus Ordinis, qui et domum episcopalem Tulli construxit, ac F. Arnould, ejus confrater ac discipulus[2].

---

1. Templum ab Alexio Guillaume, XLIX abbate, fuit inchoatum et ab ejus successore, Josepho Malcastel anno 1717 absolutum. Nicolaus Felix, LI abbas, perfecit ædificationem monasterii. (Cf. Imaginum pictarum inscriptiones, quæ in seminario Mussipontano asservantur.) Tota domus, excepto templo, die 25 Januarii 1771, flammis fuit vastata et postea, pari splendore, reædificata. (Durival. *Descrip. de la Lorr.*, *II*, art. *Pont-à-Mousson.*)
2. Si fides Benedicto Picard (*Pouillé du diocèse de Toul*), ii erant monasteriorum reditus annui:

	MENSA abbatialis.	MENSA conventualis.	
	Lib.	Lib.	
Sancta-Maria-Mussipontana	3,000	2,500	I, 304
Stivagium	2,500	2,000	I, 250
Flabonis-Mons	3,500	2,000	I, 320
Mira-Vallis	4,000	2,000	I, 411
Janduriæ	2,500	1,500	II, 101
Regia-Vallis	1,200	1,000	II, 324

Rengi-Vallis 5,000 libras circiter quotannis reddebat. (*Ibid.*, II, 339.)
Sed hæc omnia minora vero videntur, nam Regia-Valle, ut e ratione constat

Hæc prorsus omnia, Leopoldo regnante, fuerunt incepta ac peracta; sed Stanislaus, cum a Summo Pontifice Clemente XII, anno 1740, jus nominandi ad singula beneficia impetrasset, plerasque abbatias Lotharingas amicis ministrisve aut aulicorum suorum filiis, ut Miram-Vallem Nicolao *de Condillac*, concessit, et ipsam Sanctam-Mariam-Majorem quæ, a nominatione principis, ut caput Congregationis, Benedicti XIV litteris excepta fuerat, rejecto abbate a canonicis electo, P. Nicolao Breton sponte sua commendavit.

In plerisque cœnobiis, labente XVIII seculo, Præmonstratenses spiritum Servatii videntur retinuisse[1]; sed, in quibusdam tamen domibus, commendatariis præsulibus commissis, Rengis-Valle præsertim, Norbertini, sicut ceterorum Ordinum nimis multi religiosi, regula et pietate

---

quam, anno 1716, descripsit procurator domus (*État général de la mense conventuelle du* 1er *avril* 1715 *au* 1er *avril* 1716, *par le P. Huguenin, procureur*; hoc documentum a D. Dumont datum est in suo opere cui titulus *Les Fiefs de Commercy*, II, 447-451) : canonici, eo anno, pro sua mensa, 3,224 libras exegerunt.

Patet ex recensione prætoris Gallici in Lotharingia (in Mss. 2 Soc. Arch. Loth. jam. citat.), anno 1697, mensam abbatialem Sanctæ-Mariæ-Majoris fuisse 4,000 librarum; Regiæ-Vallis, 1,500 circiter; Jovillaris, 2,220; Miræ-Vallis, 3,000; Flabonis-Montis, 3,000; Janduriarum, 3,000; Stivagii, 3,000; Salinæ-Vallis, 2,000; Bonifageti, 1,500.

Sancti-Pauli mensa abbatialis, anno 1750, 30,000 libras reddebat; mensa vero conventualis, 18,000. (Robinet, I, 248).

In Calendario regio (*Almanach royal*) saltem ab anno 1767, quid commendatariis abbatibus quotannis e mensa sua rediret videre possumus. Anno 1768, Bonifagetum attulit 2,500 libras; Bella-Vallis, 12,000; Flabonis-Mons, 8,000; Justus-Mons, 4,000; Janduriæ, 3,000; Rengis-Vallis, 6,000; Regia-Vallis, 3,000; Mira-Vallis, 8,000. — Anno 1787, Bonifagetum præbuit 2,000 libras; Bella-Vallis, 9,000; Flabonis Mons, 8,000; Jovillaris, 2,000; Justus-Mons, 5,000; Janduriæ, 3,000; Rengis-Vallis, 2,000; Regia-Vallis, 3,000; Mira-Vallis, 6,500; Sanctus-Paulus, 30,000.

Multis quidem ceterorum Ordinum, pleræque domus Norbertinorum, saltem in Lotharingia, minoris erant fructus. Senonibus enim mensa abbatialis 6,500 libras reddebat; mensa vero conventualis, 3,500 (*Pouillé*, II, 248). In Mediano-Monasterio, mensa conventualis 3,000 libras afferebat; mensa abbatialis, 4,000 (*ibid.*, II, 249). Anno 1768, mensa abbatialis ibidem produxit 18,000 libras (*Alm. roy.*). Chaumousey, mensa abbatialis 4,000 libras edebat (*Pouillé*, I, 240).

1. Cf. Dumont : *Les Fiefs de Commercy*, II, 453 et sq. — *Hist. de l'Étanche*, p. 291. — Mussiponti præsertim optimam sui reliquerunt famam.

prorsus abjectis, in lugendam indignamque morum dissolutionem reciderunt.

Sed brevi res omnes, per totam Galliam, fuerunt novatæ; Præmonstratensis Ordo, sicut et ceteri, fuit dejectus : alii alio dilapsi fuerunt canonici; multi quidem sacramentum præstiterunt; multi etiam invicti in fide ac religione sua permanserunt sed, sedata tempestate, nec cœnobia sua repetiere, nec Ordinem, in Lotharingia saltem, e ruinis restituerunt[1]. Monasteria vero aut funditus eversa, aut vili pretio alienata, in villas, grangias, officinas vel castella fuerunt mutata. Nanceii, Norbertinorum cœnobium usque ad annum 1884 in equitum præsidium et ecclesia in Protestantium templum translata fuerunt. Abbatia Sancti-Pauli ad recipiendum subpræfectum Virdunensem fuit disposita; et cœnobium Mussipontanum, primum filiabus Legionariorum instituendis a Napoleone I destinatum, anno 1817, episcopo Nanceiensi, ut in eo minus seminarium erigeret, a Ludovico XVIII fuit commissum.

Nunc autem, nisi Hugonis exstarent scripta, nisi amplis-

1. Hodie in viginti tantum abbatiis, virorum septemdecim tribusque monialium, floret Præmonstratensis Ordo. In Belgio scilicet, *Averbode* (fund. 1131), *Grimberg* (f. 1128), *Parc* (f. 1129), *Postel* (f. 1173) et *Tongerloo* (f. 1130). — In Batavia, *Bernen* (f. 1134). — In Hungaria *Jaszo* (f. circa annum 1130) et *Csorna* (f. 1180). — In Austria *Géras* et *Schlagl*. — In Bohemia, *Siloe* (f. 1138), *Strahov* (f. 1138) et *Tepl* (f. 1196). — In Moravia, *Neureisch* (f. 1128). — In Rhetia, *Wiltina* (f. 1137).

In Gallia vero, Ordinem Præmonstratensem et Congregationem Antiqui-Rigoris, P. Edmundus, olim Cisterciensis († 1883) aliique sacerdotes non pauci, anno 1856, in antiquo cœnobio Sancti-Michaelis *de Frigolet*, haud procul a Terascone (*Tarascon*). Quæ sodalitas lente crevit et, anno 1880, duas tantum habebat abbatias : *Frigolet* et Montem-Dei (*Mondey*, in Normannia) et duos prioratus : Conchas (*Conques*), prope Ruthenam (*Rodez*) et Sanctum-Joannem *de Côle*, prope Petrocorium (*Périgueux*).

Post expulsionem religiosorum e Galliæ finibus (1880), Angliam appulsi aliud cœnobium in loco cui nomen *Storrington*, in comitatu gallice dicto *de Sussex*, fundaverunt.

Virginum autem abbatiæ eæ sunt : *Cracovie* in Austria, *Oosterhout* in Batavia, *Toro* in Hispania.

(P. Louis de Gonzague, *Notice sur l'Ordre de Prémontré*. Paris, Palmé, 1881.)

sima eorum monasteria adhuc admirationem commoverent, pene e Lotharingorum mentibus excidisset canonicorum illorum Præmonstratensium memoria qui multis solitudinibus, horridis antea et ignotis, nomen fecerunt, agros dumis vepribusque squalentes in arva et vineas aratro mutaverunt, christianos populos verbo evangelizaverunt et, per unum saltem seculum, scientiæ ac virtutibus servientes, longiores mollitiei atque ignorantiæ annos abunde redemerunt.

Quod si libellus iste meus eos ab hominum oblivione vindicare posset, haud frustra hanc operam meam consumpsissem.

Vidi ac perlegi.

Nanceii,
a. d. V Kal. Jul. ann. MDCCCXCI

Facultatis litterarum in Academia Nanceiensi Decanus,
Æ. KRANTZ.

Typis mandetur.

Rector Academiæ Nanceiensis,
E. MOURIN.

INDEX

Nanceii, typis Berger-Levrault et Sodalium.